

Johann Meisner Johann Wolfgang Rentsch


**De Capernaismo, Disputationem publicam sub Praesidio Viri Maxime Reverendi,
ac Magnifici Dn. Johannis Meisneri, S.S. Th. D. & P.P. Facult. Theol. Sen. &
Templi Cathedr. Praepositi, Ad. d. 6. Octobr. MDCLXIII. proponit M. Johann-
Wolfg. Rentschius Facult. Philos. Adiunctus. In Auditorio Maiori**

Wittebergae: Hake, 1663

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74696630X>

Druck Freier  Zugang





872
~~100~~

52 b. 6.

44p

A-E

40p

A-E

A-F

A-E

A-G

A-H

A-C

58p

A-H

A-D

A-E

A-D

A-D

A-C

A-F

A-C

A-C

A-F

A-E

A-L

a-D

a-C

a-C

a-E

a-D

a-D


a-n


80p

a-B

330

Fa-1092(100)





Q. D. B. V.

De

Capernaismo,

Disputationem publicam

sub PRÆSIDIO

VIRI

Maximè Reverendi, ac Magnifici

DN. JOHANNIS MEISNERI,

S.S. Th. D. & P.P. Facult. Theol. Sen.

& Templi Cathedr.

Præpositi,

Ad. d. 6. Octobr. c 15 15C LXIII.

proponit


M. JOHANN-WOLFG. RENTSCHIUS

Facult. Philos. Adjunctus.

IN AUDITORIO MAJORI.

WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typogr. Johann. Haken.



I. N. J.
CAPUT I.
SYLLABUS.

Atroces Calvinianorum calumnia & Gentilium accusationes.
Loci descriptio historico-geographica. An CAPERNAITÆ
fuerint urbis CAPERNAÏM incolæ? Quo anno hac heresis
cœperit? sedes propria hujus historia? Modus perveniendi in anti-
quæ hujus historia notitiam. Origo CAPERNAÏTARUM, & eorum
ab invicem discrepantia.

^{1.}
Vulgatum CAPERNAÏSMI nomen est, & nulli non fami-
liare. Scatent eodem SACRAMENTARIORUM libri, per-
petuoq; horrendam vocem crepant. Speciosa scilicet in frau-
dem nomina sunt, quibus maculari possint ORTHODOXI.
Non reddunt exosos levia; Confindenda majora sunt, si velis
obesse. Transeunt moderata citius: Quæ horrorem atrocitate
incutiunt, tenaciter hærent. Leve nomen UBIQVETISTA-
RUM est; Nemo eodem facillè movetur: CAPERNAÏTÆ so-
lo nomine abominabiles existunt. Quis enim Carnivoros, sat-
cophagos, sangvinipotas, Thyestas, Deivoros, (his enim orna-
mur calumniosè titulis) non toto pectore exsecretur? Qui
fingunt crassam, physicam & corporalem in S. cœna escam,
eo modo quo communis cibus consumitur, qui intrat in os,
œsophagum, ventriculum, & ulterius projicitur. Habent pi-
stum, coctum, tostum & (horreo dicere) impanatum DEum,
septem pedum longitudine, quem devorant, dentibus com-
minuunt, & particulas in hærentes dentibus circumferunt
donec putrescant. Quæ BEZÆ, ZWINGLIÏ, aliorumque sunt
calumniæ. At regium est, cum rectè facias, malè audire. Idem
pristinis sæculis experti fatum sunt Christiani veteres, quos ob
S. S. Cœnæ usum persequebantur gentiles ac trucidabant cru-
deliter, fingebantq; Vivos homines à Christianis mactari,
macta-

maſtatorum carnes comedi, & effuſum ſanguinem bibi. Uti hujus calumniae JUSTINUS MARTYR, TERTULLIANUS & EUSEBIUS meminerunt. Inſimulaſſe ejusdem criminis Chriſtianos AVERRHOEN, qui eam ob cauſam ſe reſreſſum ad gentiles eſſe ajebat, quod comperiſſet Chriſtianos devorare Deum ſuum, B. JOH. Huſſius *in determinat. de ſang. Chriſti glorificatō.* p. 158. & B. SELNECCERUS *in confut. accuſat. & calumniarum* p. 71. autores ſūt. Increpet Te Domingo Sathan! Neq; enim alium calumniarum agnoſcimus autorem, quā̄m cujus mentiri proprium eſt. JOH. VIII. 44. Reverentius de Deo loquimur ac credimus, nec quicquam laudamus carnales errores. Proderit vindicationi noſtræ & almae veritatis aſſertioni ſi paulō uberior CAPERNAISMUM deſcripſerimus. Ducem ſequemur SPIRITUM SANCTUM, ac ex JOHANN. VI. Capite quantum ingenii ferent vires eorum dogmata proponemus breviter. *Sanctifica nos Domine in veritate tua! verbum tuum eſt veritas!*

2. CAPERNAISMUM à loco nominari, ipſa monſtrat dictio. Erat CAPERNAUM Galilææ Metropolis & præclari nominis emporium in Provincia Decapoleos, penes GENEZARETH ſeu TIBERIADIS lacum, ſuper ripam JORDANIS fluvii, XIV. mill. ab Hieroſolymis verſus ſeptentrionem diſtans. BUNTINGIUS ad IſſASCHARITARUM tribum refert; Geographicae verò tabulae, quas videre contigit, omnes, ut & locus. MATTH. IV. 13. ad NAPHTALIM. Nomen ipſum à fonte quodam CAPERNAUM muro circumdato, deſcendiſſe arbitratur BARONIUS Cardinalis *Annal. Tom. 1. ad ann. Chriſt. 31. n. 64.* qui pro ſe JOSEPHUM *lib. 3. c. 18. de bell. Judaic.* & HIERONYMUM *de loc. ſanctis citat.* Hunc fontem quosdam NILI fluminis venam aſſimare, annotavit citato modo JOSEPHUS, quod Coracinus piſcis ibi reperiatur. Nos ut ut parum aliàs tribuamus nominibus, in adverſam tamen ſententiam movemur etymo vocis, quod amœnitatis agrum, vel (ſi Ebraicum Matthæi Evangelium ſequaris quod כפרנחום legit)

legit) Vicum pœnitentiæ notat ; Ubi quidem CENTUR. MA-
GDEBURG. l. i. Cent. i. c. 2. habemus prævios. Vt ad eò ab ipsa por-
tius regione etiam fontem accepisse nomèn arbitremur. Ha-
bitavit hic Christus, Nazareth relinquens MATTH. IV. 13. c. IX. i.
Cujus mutationis causa non tam fuit situs in medio Israelitica-
rum tribuum, quod contra oculorum fidem vult BUNTINGIUS,
quàm civium multitudo & frequentior exterorum in hac ur-
be conventus, quæ cum maritima fuerit, à transmarinis parite-
& accolis visitabatur, quam BARONIUS l. c. & ADRICHOMIUS rati-
onem habent.

3. Non contentus est JOHANNES urbem nominasse in qua
colloquium habebatur ; & ipsa domus quoq; designanda est,
Dixit autem hæc, ait, in Synagoga, cum doceret CAPERNAUM v.
59. ut eò major historiæ, ex loci descriptione fides sit. Non igitur
clam hæc gesta sunt, sed in loco celeberrimo, & frequentis-
simo, & quam plurimis audientibus. Vti ex LEONTIO & CTRIL-
LO MALDONATUS notat. An autem urbis incolæ Disputatores
fuerint, minus certum est. Adfuisse multos incolas dubium nõ
est. Maxima tamen pars videntur nobis exteri. Recenset Evan-
gelista eos qui saturati in deserto sunt, adfuisse. Illos autem om-
nes fuisse ex CAPERNAUM, ecquis asseret ? Conjectura non
levis est, ex NAZARETH & confinibus locis fuisse, cum v. 42. di-
cant : Nonne hic JESUS est, Josephi filius, cujus Patrem & ma-
trem novimus ? MATTHÆUS certè c. XIV. 13. innuere videtur po-
pulum NAZARETHANUM fuisse. MARCUS c. VI. 33. collectum ex
omnibus civitatibus numerum asserit. Et ibant eò ex omnibus
civitatibus per pedes. His accessisse alios ex v. 30. B. LYSERO in
Harm. videtur. Cum quærant : Quod tu facis signum ? Proba-
bile est, ex CAPERNAUM civitate hos accessisse, viso tanto in Sy-
nagoga cœtu. Neq; enim illi qui miraculosè passi erant signum
petere, cum viderint celeberrimum, potuissent. Nec est quod
quis quærat ; quomodo hæc cum v. 42. concordent ? Tanta e-

nim inter **CAPERNAUM** & **NAZARETH** viarum intercapedo non erat, quæ commercia & conversationem mutuam potuisset inhibere.

4. Hæc de loco. Temporis circumstantia in ipso textu exprimitur, v. 4. *Instabat autem dies festus, Pascha Judæorum.* Nolumus hic à textu recedere cum **CTRILLO**, qui l. 3. in **JOH. c. XI.** Tabernaculorum solennitatem intelligit. Clariora verba sunt, quorum vim eludere nullis pigmentis possumus. Sed quotum Pascha ministerii Christi fuerit, minus certum est. Quinq; quidem in univèrsum à Christo, Ministerii tempore, celebrata esse, Vulgata & probabilis est sententia, utut **JOHANNES** quatuor tantum nominet. Ex quibus hoc tertium esse patet ex **JOHANN. c. II. 13. 23.** Quod si ergo primum Pascha à **JOHANNES** omissum est, uti plerisq; videtur, accidit hæc historia anno proximè **CHRISTI** mortem præcedente, h. e. secundum æram vulgarem 32. veram 34. P. J. 4445. De mense aut die solliciti non sumus; sufficit annum monstrasse, qui uti apparet non iste est, in quo **Christus S. S. Cœnam** instituit. Poterit tamen absq; periculo dici, proximè jamjam instituisse Paschatis festum, partim propter expressa Evangelistæ verba, partim quia communis sententia est, **Christum v. i.** secessisse in desertum Bethsaidæ ex ditione **HERODIS** ad regionem, quæ **PHILIPPI** Tetrachiæ erat subjecta, ut furori Tyranni parumper cederet. Reversum tamè mox esse in **CAPERNAUM** v. 24. seqq. quod **HERODEM** Paschatos tempore Hierosolymis esse cognoverit, & proinde plus securitatis, (verba sunt **B. LYSERI** in Harmon. c. 76.) ipsius absentia sibi concessum sciverit. Nec quicquam obstat populus, qui **Christum** sequebatur. Erat eisdem severissimè præceptum ut quisque adscenderet. Noluit tamen **CHRISTUS** eos de abitu monere, ne umbram sequerentur præsentem lucem. Ut ita opus non sit in verbis **JOHANNIS** agnoscere latitudinem. **B. AUGUSTINUS** Serm. 1. Epiphan. diem etiam denominare, audet,

audet, dum scribit: eundem fuisse, quo in nuptiis Cana in vinum mutata est aqua: Alio tamen anno. Quæ nos suo loco relinquimus.

5. At Theologiam CAPERNAITARUM promissimus, non loci temporisvè circumstantiam. Ventilent eandem quibus otium est. Nos promissis stamus. Nolumus autem operosi esse in vita, respicimus potius doctrinam. Certum enim est, posse quem benè docere, & malè vivere. Commendatione tamen indignum censemus ardorem, quo agitati CHRISTUM sequebantur. Equidem frequens esse, hoc argumentum HOMILIUS non ignoramus: Nec admonitionem aspernamur. Docendi absque dubio quavis occasione sumus, de verbi divini præstantia, admonendi sæpius sumus de eodem alacriter sectando. Et habent arcanum quid exempla, quæ plebem quovis argumento movent fortius. At non fingendum ob id quod Sacrae literæ negant. Indignum laude est, quod Spiritus Sanctus vituperat. *Non queritis me* inquit CHRISTUS vers. 26. *quod signa vidistis, sed quod de pane comedistis & saturati estis.* hoc est, uti FLACIUS in glossa compend. ad h. l. commentatur: Non ex miraculis veram mei agnitionem quæritis, sed gratuitam saturationem una cœna allecti, captatis. Viderant scilicet se probe farcitos esse quinque panibus & piscibus duobus, nec quicquam tamen laborasse, nec impendisse sumptuum. Placebat ergò quietum vitæ genus, placebat gratuita mensa. Hinc est quod quærant Christum denuò. Non ut videant signa, sed ut saturentur. Famelicos sane fuisse oportuit, qui posthabito animæ pabulo stomachi quæritant subsidia. Nec quicquam videntur distare à pecoribus, quæ natura prona, ac ventri finxit obedientia. Quæ præpostera cura quidem eò apparet clarior, si conferantur versus seqq. Utut enim CHRISTUS hoc acriter ipsis exprobravit v. 26. nec respondere dignatus sit ad propositam v. 25. quæstionem; non desistunt tamen. Cumque aper-

apertè id fateri non audeant, circumvenire aliunde CHRISTUM laborant, ac tectè id insinuasse statuunt: miracula ergò quærunt v. 30. respicientes nimirum ad miraculosam cibationem v. 11. & seq. Cumque dubio procul plura Christi miracula audierint, restringunt generalitatem petitionis edones ad ventri famullitium statimq; subjungunt: MOSEN *deisse Manna de Cælo*. v. 31. Imò tota sequens eorum disputatio nil nisi gulam crepat & ventrem.

6. Nuspiam solus est divini verbi contemptus. Trahit post se & alia vitia singula. CAPERNAITAS adultores fuisse, monent interpretes. Quam primum enim CHRISTUM vident, quærunt: *Rabbi quando huc venisti?* ut scilicet indicarent se nosse eum, ex cujus doctrina nihil tenebant, quemq; sequi, propter doctrinam volebant. Scepticismum indignant verba v. 34. quæ seria non esse patet & è v. 36. falsè enim derident verba CHRISTI, eaq; pro impossibilibus habent. Irrisioni addunt murmur, v. 42. contraq; CHRISTUM varia mussitant. Nolunt enim primò apertè se opponere, sed remissius agunt, nec manifestè ipsi contradicunt. Hoc deniq; in aperta litigia & contradictiones irrumpit v. 52. quo ipso concordia parum videntur studiosi. Hinc demum inconstantia sequuta est. *Abierunt enim retrò cum hæc audirent.* v. 66. Neq; enim consistere cum CHRISTI doctrina eorum mutabilitas potest, qui arrogantiam & superbiam, quam humilem fidem sequi malunt. v. 28.

7. Sed hæc Moralists relinquimus, & pergimus ad doctrinalia. Placet autem ob ordinis convenientiam, & demonstrationis facilitatè hypotheses quasdam præsupponere, ne singula deinceps rationes tædiosè repetendæ sint. Monemus igitur, de CAPERNAITIS nõ melius constare, quam ex JOHANNIS Evangelistæ descriptione, quam habet capite VI. Cum enim reliqui Evangelistæ omnes de disputatione Capernaïtica taceant,

ceant apertum est ex JOHANNE potissimum historiam dicendam esse. Imprimis tamen hæc monemus propter PATRES, quos allegare hinc inde solent SACRAMENTARII Magni æstimamus meritò eorum verba, præsertim quod historiam attinet. Non tamen arbitramur eos in hac re, quæ illis longè est antiquior, quicquam posse definire, nisi ex ipsis JOHANNIS verbis. Sed nec scripsit quisquam ex Patribus de hac hæresi, nisi forsan incidenter, quam ipse AUGUSTINUS & QUODVULTEJUM omisit.

8. Non dubitamus, quin & illud facillè admissurus sit benevolus Lector, verba Christi in citato capite, quousq; de ea materia agit Evangelista, omni studio esse directa ad CAPERNAITARVM informationem, reprehensionem, emendationem &c. aut si mavis negativè: Non verberare Christi verba cassum aëra. Quis enim hanc imprudentiam adscribet sapientissimo Salvatore, à qua etiam nudus homo abstinere? Potest ille penetrare corda Psal. VII. 10. I. Cor. IV. 5. I. Thes. II. 4. I. Joh. III. 20. Hebr. IV. 13. Poterit igitur ex Christi verbis quibus Capernaitis respondet, non incommodè colligi, quæ ipsorum fuerit sententia; Neq; enim eò quis facillè abripietur impietatis ut falsam mentem affinxisse Capernaitis CHRISTUM dicat, qui veritas ipsa est, & cujus sermo veritas. Deut. XXXII. 4. 2. Sam. VII. 28. JOH. XVII. 17. quem mentiri est impossibile. Hebr. VI. 18.

9. - Quod reliquum est, neminem credimus eò nos adacturum, ut omnia *κατὰ τὸ ἔλεος* rejectis omnibus consequentiis ex textu monstremus. Quod quidem hodie non tantum PHOTINIANI, & alii urgent: Cum præsertim non concernat articulum fidei, an hoc an illud crediderint CAPERNAITÆ; quamvis nec illos necessariò qua literam monstri credamus. Concedunt præterea ipsimet adversarii aliquando, etiam ea vera, & pro Scriptura ipsa habenda esse, quæ ex illis necessariò

B

colliguntur.

colliguntur. Et quid quæso in omnibus omninò fieret Sci-
entiis si consequentiæ rejiciantur? In Theologia CHRISTUS ipse
consequentia usus est contra adversarios, ut adeo id ipsum de-
negari nobis nullo jure queat.

10. Præsuppositis his ultrò sequitur: Dogmata eorum
potiora fuisse Judaica. Dicuntur enim totidem verbis in textu
Judæi v. 31. 41. 49. 52. apparent præterea, ne ex hoc solo videamur
arguere, Judaicæ sententiæ ubiq; de operum meritis, de
regno Messiaæ terreno &c, & demonstravim9 supra §. 3. unde fu-
erint? Poterimus igitur Judaicam illius temporis religionem,
vocare in subsidium, & ex eadem vacua replere spacia. Vbi
tamen facilè concedimus: Non esse quid adducendum Johan-
næ historię contrarium. Sicuti & illud donare possumus:
parem ea certitudinem non habere cum iis quæ reperiuntur
in IOHANNE. Cum tamen diversæ apud Iudæos fuerint se-
ctæ, quæri haud abs re posset, cujus sectatores fuerint? Non di-
sputabimus nunc quot in universum fuerint apud Iudæos se-
ctæ? Disceptent de eo alii. Hoc certum est: SADDUCÆOS non
interfuisse huic colloquio. Quis enim persuaderi sibi patie-
tur: tacuisse pessimos hæreticos? Nulla reperitur eorum exce-
ptio cum Christus de vita æterna, deq; resurrectione disere-
bat, quam illi acerrimè negabant. MATTH. XXII. 23. Adsunt è
contrario operum merita, & traditionum adserta autoritas,
quas PHARISAICAS sententias angve pejus & cane SADDU-
CÆOS odisse, indubitato constat. Originem igitur CAPER-
NAISMI, à PHARISAISMO ducimus, non tantum, quod cõ-
munis illo tempore PHARISAISMVS toti fere populo fuerit,
uti id è MATTH. XV. constat, secus enim non potuissent PHA-
RISÆI Apostolos ob intermissas observationes seniorum re-
prehendere: sed & quod apertè PHARISAICA dogmata in
historia occurrant.

8. Protestamur autem & de eo: Non adscribere nos sen-
tentiæ

tentias CAPERNAITICAS indiscriminatim omnibus, qui interfuerunt colloquio. Cum enim tantus fuerit populi cœtus, credibile est quosdam CHRISTI verba pio animo suscepisse. Intelliguntur igitur per CAPERNAITAS pars illius catervæ. Neq; enim putandum est, omnes simul, ac uno ore clamasse. Potiores loquebantur cum CHRISTO, & qui volebant videri. Stetit reliqua turba, auditorum instar ac testium. Sed nec illi unanimes erant omnino. Testatur sanè IOHANNES, disceptasse inter se v. 52. quod discordiam illorum apertè arguit.

CAPUT II.

Principium Theologia Capernaiticæ quadruplex: Miracula, Scriptura, traditio, ratio depravata & carnalis; Errores circa DEI potentiam & veritatem Cur non agnoverint CHRISTVM pro vero Deo? CHRISTVM docuisse integrum articulum de persona & officio MESSIÆ, eaq; omnia CAPERNAITAS impugnasse. Miracula adscripsisse nudis hominibus. Extenuasse naturam peccati. Liberrum arbitrium propugnasse. Salutem in lege quasi visisse. Operum merita asseruisse. Ecclesiam falsò descripsisse. Errores in articulo de Magistratu Politico. In novissimis declarandis errabant. An etiam in Sacramento cœnæ foverint errores? & an CHRISTUS de eodem hic agat?

I.

Ab ovo rem ordimur. Non constare posset exactè de CAPERNAISMO, nisi Principia ex quibus ille deducitur forent cognita. Exactè hæc notat IOHANNES, utut indirectè, v. 29. Vbi enim de summo fidei articulo, quem præcedente comitate Christus proposuerat disquirebatur, normam CAPERNAITÆ, juxta quam propositionis veritas æstimianda sit producant. *Quod igitur quærunt, facis signum, ut credamus tibi?* Fidei igitur Principum non Scripturam, & verbum DEI revelatum faciunt, sed miracula. Quo jure id fecerint non dis-

B 2

qui-

quirimus. Certum nobis est, expressa jam fuisse in Canone
V. T. quæ necessaria erant ad salutem. Præceperat jam Moses
Deut. IV. 2. nihil addendum esse, nihil subtrahendum, quæ ver-
ba c. XII. v. 32. & Prov. XXX. 6. subinde repetuntur. Inculcarat
jamjam legem & testimonium ESAIAS cap. VIII. constabat
ergò satis de fidei norma. Ad quid igitur miracula? Aut enim
CHRISTI doctrina eadem erat cum Mosaica, aut ab eadem di-
versa? Mosaica a. doctrina plantata jã erat, & confirmata, nec
opus ullo amplius miraculo. Et quæ quæso alii Iudæorū Docto-
res miracula edebant? quæ præter futurorum prædictionem
multi PROPHETÆ? IOHANNEM sanè ad quem exiit tota
Iudæa & baptizata est. MATT. III. 5. Miraculis clarum non fuisse,
totidem verbis asseritur Ioh. X. 41. Diversa autem à Mosaica
doctrina, nec miraculis poterat confirmari. Expressa hujus
legis verba sunt Deut. XIII. 1. *si surrexit in medio tui Prophetes,
aut qui somnium se vidisse dicat, & prædixerit signum aut porten-
tum: & dixerit tibi, eamus & sequamur DEos alienos, quos igno-
ras, & seruiamus eis. Non audies verba Prophetæ illius, aut so-
mniatoris illius.* Immodò constabat jam abundè Iudæis; etiam
Dæmonem potentem esse in incredulis, nec enim ignorare
poterant Egyptios Magos, IANNEM & MAMBREM 2. Tim.
III. 8. Mosis fuisse æmulos. Exod. VII. 11. Incantatricem Sauli, Di-
aboli ope futurum rerum eventum prædixisse. Ita clarius in N.
T. MATTH. VII. 15. Joh. XI. 49. Matth. X. 1. Luc. X. 17. Joh. XII. 6.
Matth. VII. 22. Matth. XXIV. 23. 2. Theff. II. 9. Apoc. XIII. 13. c. XVI.
13. Ioh. VI. 30. c. 19. 20. Quæ loca tamen cum Iudæos non strin-
gant, adeò urgere nolumus. At signum nihilominus quærit
malefica & adultera generatio. Matth. XII. 39. *ἢ ἐν ποταμοῖς αὐτοῦ
καὶ ἐν ἑδαμῶν καὶ πιστεύσωμεν;* quod igitur facis signum, ut vi-
deamus & credamus? Ioh. VI. 30. quasi verò potiora divinis
scriptis sint miracula. *Audiendi Moses & Prophetæ erant.* Luc.
XVI. 29. Non expetenda miracula, exemplo *Davidis* qui nun-
quam

quam non ad Legem & testimonium provocavit. Unde toties, Legis, lucis, lucernæ, testimoniorum repetit elogia Psalm. XIX. XL. CXIX. Differebant in hoc puncto à Judæis aliis CAPERNAITÆ qui excipiebant: miracula diaboli ope patrari posse. Luc. XI. 15. Matth. IX. 34. c. XII. 24. & conjungebant se iis quorum Luca XI. 16. mentio facta est, hinc Mosis allegant exemplum, qui Manna dedit de cœlis. At deprehenditur eadem diversitas inter Judæos sapius. Placebat aliquando toto populo, miraculo doceri veritatem, cum tamen jamjam Mosai- ca scripta profabant I. Reg. XVIII. 24. Et noluit tamen paulò post Ahas Rex postulare signum, utut provocatus erat Esa. VII. 12.

2. Non suffecit unum probandi genus. Scripturam S. igitur allegant simul; v. 31. *ut scriptum est*. Nolo universaliter asserere Scripturam ipsis non nisi historicè probasse, utut nullibi nisi in historiis eandem allegent: conjunxisset amen eam, cum aliis, omni dubitatione caret. Quam miserè autem eandem depravarint testari locus allegatus & CHRISTI correctio potest. Quod enim Psal. LXXVIII. 24. (hunc enim locum respicere videntur) ad DEUM refert expressè, illi ad MOSEM applicant. Ita quod de regno Christi Spirituali prædixerant Prophetæ, illi ad mundanum & terrenum vitiosè applicant v. 15. idq; ex communi tum temporis traditione, quicquid uspiam de Christo disputant. Traditiones respiciunt v. 28. & alibi. Non explicari poterit eorum mens feliciter, quam verbis Judæorū propriis. Ita de Traditionibus scribunt in מסות ברככת vel libro precum cap. I. חבובין רבין ספרים מרכרי תורה: Dilectiora sunt verba scribarum quam verba Legis; quod R. Jacob in lib. כפתור dennò repetit. R. Isaac Filius Rabbi Joseph. Corbelensis lib. גלרי עמו ורי גלרי fol. 39. ait: Ne existimes quod fundamentum sit Lex scripta; quin potius fundamentum est illa, quæ ore tradita. Nam propter legem oralem inutum est

foedus sicuti scriptum est: quia juxta verba hæc pango tecum
 foedus. Et hæc sunt thesaurus DEI sancti benedicti. Sciebat
 enim futurum ut Israëlita transportarentur inter alios popu-
 los, & quod scripturi essent gentiles libros ipsorum. Cui denuò
 classicum locum è TALMUDE tanquam publicæ doctrinæ
 Systemate jungimus. Ita autem סנהדרין מסכת cap. X. vers. 3.
 חומר דברי סופרים מדברי תורה. Gravis peccatur cir-
 ca verba scribarum quàm verba Legis. Rationem hujus obser-
 vantia reddit SCHOLIASTES Talmudicus ad cap. 1. מסכת
 ערוך hanc, quod traditiones etiam hæc sint divina. Tradi-
 disse enim Deum Mosi una cum scripta lege, oralem, ut deci-
 sio causarum sit penes sapientes. Quin immò ipse DEUS
 traditione orali carere non potest, sed eadem tanquam chara-
 ctere utetur in futuro seculo ut cognoscere possit filios suos.
 Elegans locus est quem è MOSE KOZENSE allegat BUX-
 TORFFIUS *Synag. Jud. cap. 1.* In futuro seculo, inquit, interro-
 gabit Deus quinam sint filii sui? Tum gentes juxta cum ISRA-
 ELITIS librum legis proferent, utrique se filios esse dicent. I-
 taque Deus denuò interrogabit penes quem sit expositio ora-
 lis quam tradidit in monte Sinai? Ad hoc omnes obmute-
 scent, nec quisquam excepto Israele illius gnarus reperietur.

3. Pugnare jam videntur quæ sequuntur cum prioribus:
Rationis scil. Dominium Capernaitas in articulis fidei asseruisse.
 Quomodo enim qui Traditiones sequitur & æssimat miracu-
 la, rationis agnoscere imperium potest? Absurdi sunt rationi
 miraculorum assertores, absurdi traditionum. Neq; enim il-
 lorum capere majestatem potest, nec harum ferre censuram.
 Impatiens Domini ratio est, nec ullum agnoscit superiorem.
 At antiquitatem crepant Traditiones, & ad sui observantiam
 etiam contra rationem invitant; Miracula horrorem naturæ
 incutiunt & reverentiam, nec assurgere rationem ullatenus
 patiuntur. Fuit tamen una cum prioribus hoc Capernaitarū
 dogma,

dogma, & Princeps quidem cui tota disputatio innititur. Arguit hoc *ἄπορον* *ἴσως* eorum ipse CHRISTUS. vers. 63. his verbis; *Spiritus est qui vivificat: Caro non prodest quicquid.* quæ quidem verba de carnali sensu & rationis argumentis intelligenda esse ad oculum nostrates demonstrarunt. Blasphema est de CHRISTI carne, quæ mundo vitam dat, expositio. Prodest illa supra mundi totius thesauros. SYNODUS EPHESINA olim decrevit: Si quis dixerit carnem Domini non esse vivificam, eò quod propria est verbi, quod omnia vivificare potest, divinam tantum inhabitationem sortiti, anathema sit! Sibi hæc dicta putent qui id asserunt. Nos certi sumus, de carnali homine ac peccatore Christum loqui, si dicit: Caro non prodest quicquam: Consuevit enim hic esse vocis sensus, sicubi Spiritui opponitur. Uti quidem id videre est JOH. III. 6. Sed nec opus his est. Non laboramus enim tam de hujus dicti sensu, quam de Capernaitarum historia. Ponamus ergo tantisper hoc dictum nobis deesse; Firma tamen quæ diximus erunt: Capernaitas rationis imperium secutos esse. Sole meridiano clarior res est. Philosophica disceptatio est, & quæ rudem rationem cognoscit judicem si murmurant v. 41. quod dixit Christus: *Ego sum panis ille vitæ qui de cælo descendit.* *QUOMODO* enim *quæ* *erunt* *descendit* *de* *Cælo*? *Nonne* *JESUS* *est* *Josephi* *&* *Mariæ* *filius*? Non capit scil. mysterii sublimitatem intellectus hebetior! nec intelligit absq; illuminatione incarnationis divinæ gratiam. Philosophica exceptio est, si de comestione Carnis dominicæ v. 52. rixantur. *QUOMODO* inquit *potest* *hic* *nobis* *dare* *carnem* *suam* *ut* *edamus* *eam*? Quali verò id quomodo locum habeat in fidei articulis. Sollicita nihilominus est & provida absurda ratio, ne quid asseratur absurdi; Videbatur tale descensus CHRISTI de Cælis, & carnis manducatio: Fluit naturali quadam facilitate argumentum: Novimus CHRISTUM in his terris è MARIA natum; Quomodo igitur de-

descendit de celo? Ducit ita ad absurdum, absurda ratio, neque capit ea quæ Spiritus sunt. Coercenda igitur intra terminos, ac ne extollat caput videndum probè. Vitiosum Quomodo dubitans in fidei negotio est, nec excusationem meretur. Impingunt nihilominus hic CAPERNAITÆ; *Quomodo dare suam carnem nobis potest?* inquit, Quærunt ergò de modo, & simul totam rem tanquam vel crudelem vel impossibilem negant. Acceperunt enim illud stultè (verba sunt AUGUSTINI *Enarrat. in Psal. 98.*) carnaliter, cogitaverunt & purarunt quod præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo & daturus illis. Vel uti loquitur CYPRIANUS (si modo is autor sit sermonis de Cœna) Quidam, qui non crediderunt non poterant intelligere, abierunt retro, quia horrendum eis & nefarium videbatur vesci carne humana, existimantes hoc eo modo dici, ut carnem ejus vel elixam, vel assam, sectamq; membratim edere docerentur, cum illius personæ caro, si in frustra partiretur non omni humano generi posset sufficere. Sunt hi rationis flosculi, quos extirpare oportet antequam ostendant folia. Faciunt huc Christi verba, qui his Principijs opponit Scripturam sacram, v. 45. dum eandem citat, ut ad ejus studium somnolentos excitet. Et quid quæso aliud nisi tacitam reprehensionem verba habent: *Erunt omnes à Deo docti?*

4. Labili fundamento quicquid superstruxeris minatur ruinam. Sunt hæ Capernaitarum hypotheses. Errant gravissimè in fidei principio. Quid mirum ergò absurdas sequi conclusiones? Absurdum est: DEUM NON OMNIA POSSE. Dixerat jam Jehova: Ego sum DEUS fortis, אלהים גבור. Quæ nomina conjunctim leguntur posita, Gen. XVII. 1. Gen. XXVIII. 3. Num. XXIV. 4. Job. XXXIV. 12. Job. V. 17. c. XXII. 3. cap. XXIV. 1. ut utrumque potentem & fortem significet seorsim. Non ignorare hoc DEI attributum poterant CAPERNAITÆ, cum pro-

prostabat jam integer V. T. Canon absolutus, nec deerant quæ
omnipotentiam divinam stabilirent argumenta. Recordari
potuissent pristinæ ætatis, & mirari divina opera. Steterat
rubrum mare omnipotentis imperio. Psal. 106. 9 Exod. XV.
22. Ferrum nataverat 2. Reg. VI. 6 Sol quieverat JOS. X. 13. De
CHRISTO Specialiter plura viderant miracula. Comederant
de panibus quinq; hordaceis; cognoverant eum sine navi in
alteram ripam devenisse. Quarunt igitur JOH. VI. 25. *Rabbi*
quando huc venisti? ac hoc ipso, BRENTIO iudice *Homil. 52. in*
Johann. significant se majestatem potentia eius agnoscere, ac
plurimum admirari. Videbant enim, non potuisse eum pe-
destri itinere, brevi hoc temporis spacio transisse. Nam lon-
gius distabant termini. Una tantum nox intercesserat, quæ
huic itineri conficiendo erat impar. Flebitur enim lacus &
Spaciosissimum sinum describit à loco comestionis quinq;
panum ad Capernaum usque. Sed nec navis aderat alia, quæ
breviori via poterat transire sinum, nec CHRISTUS cum dis-
cipulis abierat, sed solidiscipuli ingressi erant navim V. 22. Ip-
si quoq; tota nocte ripam obsederant, ut adeò ex ipsorum c-
tiam sententia non potuerit nisi miraculosè translatus esse
Christus. Dubitant tamen de eius potentia V. 57. *Quomodo*
inquunt potest hic nobis dare carnem suam? Equidem de *quomo-*
do moris id interpretatos esse plurimos cõstare vel ex iis potest
quæ de immani & cyclopica Creophagia leguntur. Putasse
scil. Capernaitas se ad immanes ferarum viscerationes voca-
ri; Non posse verò se sine nausea, horrore, peccato, car-
nem humanam edere, Sed *quomodo potentia esse, & natura*
monuit jam in *Mus. exotopica* Max. Rev. Du. D. DANNHAUER
sect. 1. art. 2. p. 56. Negat igitur vel arguit uti explicat
FLACIUS *in Clav. script. sub voce QVOMODO*, tanquam
falsam & absurdam simplicem propositionem. *Quomodo dare*
potest nobis carnem suam, i. e. Falsum est & impossibile, quod
C dixit:

dixit: Contradictiones enim fingere, ratio nunquam cessat, ubi depravata semel caput extulit. Nec quicquam Capernaitas excusat, quod CHRISTUM pro vero DEO non habuerint v. 42. Non pendet enim ex hominum arbitrio Christi divinitas, nec tollit incredulitas eorum DEI fidem? Rom. III. 3. Bona est consequentia: Qui negat CHRISTI potentiam, negat DEI. CHRISTUS enim DEUS est. Esto, non admittant hoc Capernaita; pertinet id tantum ad formalia.

Miramur tamen hominum malitiam! Nolebant tribuere potentiam Christo, nec habebant tamen cum novo errore pro DEI attributo proprio, Quid enim aliud est quod Christus ipsis v. 32. exprobat? Dixerant illi, *Mosen dedisse Panem de Coelo.* v. 31. quod ita sane intelligebant: Mosen supra naturam & miraculosè dedisse panem, idq; non instrumentaliter tantum agendo, sed principaliter. Non posset aliàs CHRISTUS Patrem suum opponere? Cum instrumentalis causa & principalis subordinentur, non opponantur. Aut Mosen igitur pro DEO habuerunt, & fuerunt adeo ipsis plures Dii. Aut potentiam & maiestatem miraculorum tribuerunt etiam creaturis expressa contradictione. Supernaturalia enim esse signa admittebant, indeq; CHRISTI divinitatem volebant diiudicare. v. 30. tamen Creaturam tale quid præstare posse ineptissime asseriebant v. 31.

DE DEI Veritate dubitasse eos dubium nullum est. Noluerunt verbo habere fidem nisi confirmato miraculis. v. 30. cum tamen DEI verbum erat, ideoq; eidem tanquam falso prorsus non credebant. v. 36. arguebant CHRISTUM aperte mendacii v. 41. & 52. Qui tamen veritas ipsa est. Assumentur ex his paucis CAPERNAITAE, quid asseruerint de attributis reliquis, scientia, aternitate, Præsentia? &c. quæ omnia deduci ex precedentibus poterunt.

¶ Præcipua tamen controversia in articulo de Christo residebat

videbat. In eo enim Christus totus est, ut de Persona & officio
Messie ignorantibus instruat. Ipsi contra Iudaicis fascinatie-
rant traditionibus de terreno Messie Imperio, expulsionem
Romanorum, reductionem dispersarum tribuum, aureo secu-
lo &c. Consultarunt ergo inter se, ut IESUM raperent sibi;
Regem constituerent, ubertatem rerum, annona copiam,
opes, voluptates & gloriam mundi, libertatem, ceteraq; hu-
jus mundi commoda sibi pollicentes si talis REX contigisset.
Videtur præterea: CAPERNAITAS de corporalibus præmi-
is omnes, vel saltem potiores promissiones divinas interpre-
tatos esse. Exprobrasse hoc eis in speciali casu Christum, supra ex
v. 26. monstravimus; cui si v. 30. conferas, res sole erit clarior.
Quod enim CHRISTUS dixerat v. 30. Fidem ab ipsis requiri
in Messiam, simpliciter apprehendere renuunt. Ostendendū
prius esse Christum esse illum Messiam, quod tamen contra-
dictione mutabile vulgus v. 14. factum erat. In probatione
hujus nolunt audire Scripturam s. sed miracula. At neque
hæc placent, nisi terrena afferant commoda. Ut a. appa-
reat clarius, terrena putasse beneficia divina, notamus
verborum scopum. Is sane nullus alius erat, quam devenire
in notitiam promissi Messie. Iusserat enim CHRISTUS, ut
crederent in eum quem misit Deus, si vellent DEI opera opera-
ri. Erat igitur de ea promissione DEI contentio, in qua omnes
alienata sunt & amien. De Semine benedicto sermo erat,
in quo benedicendæ erant omnes gentes Gen. 3. Sed & hæc
promissio ipsis erat terrena. Nolebant Characterem alium,
quam Manne pluitionem, ut saturari famelicus venter pos-
set absque laboribus. Ac si promissi Messie propria nota es-
set, terrena exhibere beneficia. Id enim apertissima conse-
quentia vult: Qui cognoscere vult Messiam omnium promif-
sionum divinarum præstantissimam, ex beneficiis corporali-
bus; Is corporalia bona habet pro propriis & discretivis
Messie notis. Et ita sane est; Non potest qui corruptum rati-

onis iudicium sequitur, nisi ex splendidis & utilibus donis,
donantis aestimare magnitudinem.

6. Et quid opus est adferre plura. Non agnoscebant Divinitatem Christi: Quid igitur mirum, nudum hominem corporalia dare & terrestria? Afferunt autem hoc totidem syllabis v. 42. *QUOMODO DICIT: DESCENDI E COELIS &c* De coelis descendere, h. l. significat e natura sua habere coelestem & divinam originem, hoc est, esse verum Deum. Scopum enim Christi esse, demonstrare suam divinitatem nemo non concedit. At quis, inquit, dixit hunc sensum Iudaeis Capernaitis? aut unde probabitur coelestem & divinam naturam CHRISTO eos denegasse? Nos sane Iudaeos hunc verborum nervum satis intellexisse, sumus persuasissimi, idque ut asseramus non unâ ratione ducimur. Prima ex ipsa contradictione & murmuris scopo sumitur. Cur enim murmurassent nisi divinam ac coelestem naturam sibi CHRISTUM tribuere intellexissent? Non potuissent sane si de re levi accepissent tantopere offendi. Et de quo quæso descensu potuissent explicare? De divina Vocatione forsân, sicuti hoc modo MOSES, ELIAS, PROPHETÆ alii descenderunt de Coelis? At quæ hæc tantæ offensionis aut murmuris causa? Agnoscebant aliquid in ipso extraordinarii, nec aliter poterant, ex præcedente miraculo: Nominabânt Rabbi, & divinæ scientiæ Magistrum v. 25, quærebant de divinis operibus v. 28, & quod princeps omnium est: Non murmurabant quod CHRISTUS v. 29. dixerat; se à DEO missum esse. Aliud ergò hic innuere CHRISTUM, & longè excellentius agnoscent, Et quid quæso clarius est, si eorum spectemus *ACT. I. 22*? Non opponunt vocationem humanam, aut negant officium propheticum, sed naturalem originem & parentes homines adducunt v. 42. *Nonne hic est JESUS Josephi filius?* ajunt; *Cujus nos novimus Patrem & Matrem: Quomodo ergò dicit; Descendi de caelis?* Jesum nomine proprio appellant per contemptum, notante

tante B. LYSERO *Harm.* c. 78. eumq; arrogantia infimulant
qui cum homo plebejus sit, adeo magnifica inter suos gentiles
& notos de se polliceri aufit. Cœlesti igitur origini terrestrem
opponunt, divina humanam. Sed nec poterant nisi hoc asse-
rere miseri. Explicent aliter si viri sunt qui rationem pro fi-
dei principio habent. Contradictorium sanè videbatur ratio-
ni, ex MARIA abjecto homine nasci, & tamen divinam jactare
originem. GIGNIT SIBI QVODQVE SIMILE, rationis axio-
ma est, neq; enim imbellem feroces aquila gignunt columbã.
Ast quid opus plura ad hanc rem faciëntia afferre? Commu-
nis ille Judæorum tum temporis error erat, docebantque si-
milis integra cœlegia. Pharisei sanè, quanti quanti erant,
Messiæ Divinitatem ignorabant & negabant. Hinc Christo
de Messiæ Parente quærenti respondent: DAVIDEM esse
MATTH. XXII. 42. nec hiscere audent aut respondere quicquã
ad objectum Deitatis argumentum. Quid mirum igitur idem
cum Præceptoribus suis habere Capernaitas?

7. Cum articulum de Messia tantopere corrupissent
CAPERNAITÆ, & ille verò necessarius fuerit scitu; integrum
explicare CHRISTUS, & reducere in viam errantes aggressus
est. Distinctè igitur singula persequitur. De persona ejusdem
perspicuè, eam *ὄντως* esse, v. 27. *Operemini cibum, non qui pe-
rit, sed qui permanet in vitam eternam, quem FILIUS HOMINIS
dabit vobis. Hunc enim PATER signavit DEUS.* Filium hominis
se vocat & tamen simul filium DEI. v. 32. 33. 38. ait se de cœlo de-
scendisse, hoc est, divinum esse. Hunc enim sensum esse
phraseos, evicimus supra. Quod filium se nominat apertè à
Persona Patris distinguit, ut intelligere potuissent, esse aliam
à Patre Cœlesti Personam. Equidem & in V. T. fideles vo-
cantur filii DEI. Esa. LXIII. 16. *Tu enim Pater noster, & Abra-
ham nescivit nos & Israel ignoravit nos. Tu Domine Pater no-
ster, Redemptor noster, hoc, à seculo nomen tuum.* At hi filii sunt

tantèraper *διος* *θεοῦ* vel adoptionem. Ille filius naturalis est, Quam emphasin Capernaitis etiam intellexisse dubium non est, cum & ipsi ideò murmurent v. 41. 42. Et socrioni eorum ex hac phrasi colligant: CHRISTUM *se aequalem facere* DEO, JOH. V. 18. & asserbat coaternitatem cum Patre ipse CHRISTUS v. 62. *Si videritis ascendentem Filium hominis ubi erat prius.* *Ὁμοσίου* verò inculcat & urget v. 46.

8. Duas has naturas quàm arctissimè copulatas esse & in unum *ὁπρὸς ἑνὸς* unitas, docere volebat SERVATOR, partim loquendo de se tanquam de una persona; *Ego sum panis. Ego descendi de Caelis. Ego resuscitabo &c.* partim etiam proponendo ejusmodi formulas, quæ proprium unius naturæ tribuunt alteri; quæq; nisi præsupponatur Personalis naturarum unio verificari non potuissent. Notatu dignum esse nobis videtur, quòd ex tribus communicationis Idiomatum generibus exempla Capernaitis proponere CHRISTUS voluerit; ut nimirum nihil esset in Loco de Messia, quòd neglexisset. Ex primo genere est. v. 62. *Si videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius.* Tribuitur enim proprietas divinæ naturæ, concreto humanæ. Ex secundo. v. 27. In quo per SIGNARE nihil aliud intelligitur, quam ipsa collatio Majestatis, & unctio. Psal. XLV. Neque enim RUPERTI & AMMONII probare *ἰσορροπίας* possumus, qui contra Grammaticas Regulas signatam, ajunt escam, s. panem; cum *ἄρτος* foemininum sit, & *ἄρτος* masculin. Est ex hoc genere v. 51. Ubi Majestas dandi vitam mundo carni Christi adscribitur, cum tamen sit infiniti valoris. Ex tertio genere verò præter miraculum quinq; panum sunt v. 39. 40. 44. In quibus ipse judicandi & resuscitandi actus toti Personæ adscribitur in Concreto. Ita similiter de officio Messie instruxit, ac REGEM, PROPHETAM, & SACERDOTEM se esse non obscure significavit. Regium est judicare & resuscitare in extremo judicio. Regium ascendere in caelos ubi erat prius. Docere,

cere, informare de Messia populum, detegere occulta, Propheticum. Pro omnibus deniq; satisfacere v. 51. & 49. ad Sacerdotium spectat. Exinanitionis & Exaltationis status per descensum & ascensum in Coelos indigitatur. Ut omnino de integro articulo si quis singula vellet exponere ex uno hoc loco constare posset.

19. Sed quâ fini hæc attulimus? Num ea quid ad Capernaismum? Ita arbitramur omnino! cur enim alias CHRISTUS hæc diduxit longius. Nisi ut informarentur Capernaitæ, *Αὐτῶν* per omnia tenentes? Extabant jam sigulorum Capitum vestigia in Scripturis, cum ergo non explicarent de Messia, monere de eo CHRISTUS voluit. Et quid opus pluribus? Generaliter contradictoriam sententiam Capernaitis adscribit CHRISTUS v. 36. *Dixi vobis quod vidistis me, & tamen NON CREDITIS.* Demum non poterant hæc omnia à Capernaitis admitti, quia Divinitas MESSIÆ negabatur. Ut adeo de ipsorum sententia sufficienter constet.

10. Ad articulum de Providentiâ progredimur; De Creatione enim quid senserint non expressè constat. Nolumus eos ex sequioris seculi Judæis æstimare. Somniant illi in l. Sanhedrin Deum quævisse angelos: Num & ipsi in hominis creationem consentiant? Responderunt angeli; quodnam erit opus hominis? Dixit Deus, ita & ita se geret. Responderunt angeli: *Quid est homo, ut cogites de eo?* ex Ps. VIII. 5. Corripuit eos ergo Deus, & attigit digito, ut omnes cõburerentur, postea creavit alios, quos denuo rogavit &c. Id de Capernaitis Cõstat, ex v. 31. quod cuidã Creaturæ adscripserint providentiã & miraculosam cibationem populi Israëlitici in deserto. Quomodo enim alias CHRISTUS contradixisset? *Non Moses dedit vobis illum panem, sed Pater meus!* Excluserant illi igitur Patrem, ut ut eorum thesin JOHANNES non recenseat exclusivam. Dubium non est antiquam hanc Judæorum fuisse sententiam, ex quo-

quorum scholis hæc traxerunt CAPERNAITÆ. Nolumus^r ridiculas recensere fabulas, quas de gubernatione divina allegant in libr. רב רב Rabbini. DEUM non nisi pluviam, partus, & sepulchrorum clavem habere, cæteras angelis tradidisse. Malunt ergo Creaturis adscribere hanc operam quàm ipsi DEO, qui aperit manum suam & implet omnia beneplacito. Psal. CXLV. 16.

II. Ut improbi suorum æstimatores erant Capernaitæ, ita non poterant de peccati natura rectè sentire. Equidem non apparet hoc primo intuitu ex Evangelista; æstimata verba accuratius plenè informant. Remissius enim de peccato docuisse v. 28. monstrat. Quærebant ibi; *quid faciemus ut operemur opera Dei?* Præsuppositum ergo habebant: Non adharere omni actui peccatum. Neq; enim peccaminosum opus placere DEO poterat. Præsuppositum habebant: Peccata esse tantum externam Legis transgressionem; Vidissent aliàs non posse opera absq; peccato esse, etsi perfectissima sint in hac vita. Apparet & in aliis Judæis hic error. Hinc est quod CHRISTUS Pharisaicas illas depravationes corrigit, & peccati naturam docet exactius Matth. V. 31 32. 33. 34.

12. Sed ob alias hypothesen non poterant aliter. Liberum enim in salutis negotio hominis arbitrium asseruisse ex v. 44. seqq. colligitur. Ubi eorum thesi, hanc CHRISTUS opponit: *Nemo potest ad me venire, nisi Pater traxerit eum.* Non recenset JOHANNES Capernaitarum in hoc articulo sententiam, forsitan quod expressis verbis eam non exposuerint; Tacitè tamen eandem insinuat, dum CHRISTI recitat Antithesin. Clara res erit, si observetur ansa effati, & cum præcedentibus connexio. Murmurarant CAPERNAITÆ, & ex rationis principijs contra Deitatem CHRISTI disputaverant. v. 42. Non esse verum Deum, nec descendisse de cælo, sed genitum ex JOSEPHO & MARIA esse. Nolebant igitur agnoscere intellectus & voluntatis

tis tenebras; sed æstimare se quavis ratione sua posse credebant, & quæcunq; ad vitam æternam acquirendam necessaria præstare. Hinc CHRISTUS respondet: *Nolite murmurare; nemo potest venire ad me.* Vos non potestis verba mea percipere, & mihi vera fide adhærere, quia sunt Spiritualia, vos autem carnales estis. Tum demum autem ea intelligetis & me sequimini, *Si Pater traxerit Vos.* Ad Christum venire teste B. LYSE-RO *in Harm.* est, serio salutis desiderio ad veram Christi cognitionem adspirare. At hoc ipsum non est humanæ prudentiæ, non est carnalis rationis, nec humanarum virium, sed divinæ clementiæ & opus Spiritus S. . Quod ipsum Capernaitas negasse, apparet porro ex eo quod adducitur ex Prophetis: *Erunt omnes docti à Deo.* Talis erat CHRISTI propositio, quam illi nec capere poterant, nec habere pro vera. Ecce enim, Christus tam prolixè aliàs hanc sententiam probasset? Et quid multis? Operarii erant CAPERNAITÆ, meritorumq; propugnabant perfectionem, quid mirum igitur, iis *αὐτῶν ἑστίον* placuisse? Quid FACIEMUS? quærunt v. 28. Facere igitur se posse, quavis pro lubitu, etiam Spiritualia arbitrantur. Rationarii erant CAPERNAITÆ. Quid mirum igitur & voluntatem hominis extulisse?

13. Legem enim Dei, (quam traditam sibi esse, ignorare non poterant, uti quidem & ipsi ad Scripturam provocant v. 31.) servare se exactè & implere posse communis PHARISÆORUM sententia erat: Hinc facere volunt opera DEI, externa enim tantùm somniabant. Neq; solam Legem admittebant pro fidei norma, nec ad salutem sufficere credebant. Cur enim aliàs tantoperè adhæsissent majorum traditionibus? cur alia volebant audire opera à Mosaicis diversa, ut adipisci Salutem possint? vers. 28. Dubitasse igitur de Legis Perfectione improbable non est, cum plura quæsierint & alia media, utut ejus impletionem judicarint facilem. Evangelium au-

D

tem

rem CHRISTI nec sequi volebant, ut ut audierint jam, nec audire
amplius, v. 66. Et quanquam CHRISTUS toties fidem inculcet,
gratuitamq; salutem concionetur, v. 29. 33. 35. 37. 38. 39. 40. 47. &
seqq. Renuunt illi tamen, ac præfractè resistunt, nullisq; verbis
possunt induci ut credant v. 36. Præcipuè videntur errasse in u-
triusq; , Legis & Evangelij, differentia. Arbitrabantur scili-
cet potiora fuisse bona MOSAICA, quam ipsius CHRISTI. Hinc
v. 31. ad Mannæ pluitionem provocant, idque ut singulare Ju-
daici populi beneficium commendant, cui nec cibus què pro-
mittebat CHRISTUS, nec miraculum in deserto v. 11. patra-
tum possit æquiparari. Esse hanc verborum vim partim ex di-
centium scopo, partim ex CHRISTI responso manifestum est.
Non proponunt Mosis beneficia nudè, & ut piè recordentur,
sed quærunt simul: *Ecquod verò tu Operaris signum?* Compa-
rant igitur inter se MOSEN & CRHISTUM, illumq; lon-
ge huic præferunt: Dedit eum per 40. annos panem, non
una tantum die, sicut CHRISTUS; Dedit toti populo, non
tantum 6000. hominibus: Dedit de cælo, ex nihilo, non mul-
tiplicasse panes terrenos. His CHRISTUS respondet: *Amen a-
men dico vobis, MOSES non dedit vobis panem de Cælo, sed Pater
meus dat vobis panem de cælo verum; Panis enim Dei est, qui de-
scendit de Cælo, & dat vitam mundo.* Item v. 49. seq. *Manduca-
runt Patres vestri Mannam in deserto & mortui sunt. Hic est pas-
nis &c.* Ex quibus verbis firmitè conferantur, CAPERNAITA-
RUM errores satis elucet. Negat nempe CHRISTUS in Ju-
daica propositione 1. quod Moses dederit Manna. 2. quod Man-
na fuerit de cælis. 3. quod Manna fuerit vivificum. Ponit è con-
trario Panem de quo ipsi sermo, Mosaico longe præstantio-
rem esse, Nam 1. descendisse de Cælo, f. esse divinæ naturæ;
cum Manna fuerit cibus corporeus, qui non è cælis descendit,
sed tantum è nubibus. 2. Dare vitam absolutè, cum Manna tan-
tum per modum ordinarii & naturalis cibi operatum sit, cum
Man-

Manna non dederit vitam, sed tantum conservavit; cum Maria tantum spectavit ad vitam hanc terrenam, non ad Caelestem. 3. Dare vitam toti mundo h. e. omnibus hominibus in mundo viventibus; cum Manna proprium fuerit Israelitarum. |

14. Ad ea nunc quae de justificationis negotio docuerint, devolvimur ordine. Ubi quidem certum est de illo eos agere v. 28. Id quod patet tum ex CHRISTI propositione, qui praecedente versu justificationis modum praescripserat, tum ex ipsorum formula, quando quaerunt, *quid faciemus ut operemur opera DEI?* in qua per opera DEI, opera DEO placentia & justificantia intelligere eos palam est; Tum ex CHRISTI responso, qui errorem crassum corrigit, & verum justificationis medium nominat. Quod ipsam rem igitur concernit, apparet primo statim intuitu, justificationis causam quaesivisse CAPERNATAE intra se. Hinc non quaerunt in genere, qua ratione vita aeterna conferatur? sed praesupponunt jam, in ipsis situm totum negotium esse, uti est quaestione satis liquet: operari n. volunt, facere se posse credunt; opera praescribi & nominari expetunt. Quae singula est PHARISAISMO descendisse; monuimus jam aliquoties.

15. Concludi ex his facile potest, quid de PRAEDESTINATIONE senserint? Non factam illam esse intuitu fidei & meriti CHRISTI, sed tantum bonorum operum praevisione, eorum sententia certum est, si modo praedestinationem ipsam admiserunt, de quo cum in articulo de DEO male informati fuerint non immerito dubitari potest. Informat autem eos CHRISTUS de hoc articulo plenissime v. 40. Ad BONA OPERA igitur pergimus, & eorum errores, cum tacti jam sint saepius summatim tantum recensemus. Extendebant eadem ultra verbum Dei, & traditionibus tribuebant multum. Aestimabant itaque ex iudicio hominum. Asserebant ea posse ex propriis

priis viribus præstari. Contaminabant eadem intolerabili fastu; Adscribebant iis alium finem, & necessitatem eorum urgebant ad salutem; Quæ omnia cum ex ipso textu & ante dictis patefiant facile, ulterius non deducimus.

16. Sed nec in articulo de ECCLESIA puri omnino erant. Communis JUDÆORUM error erat, alligatam eam esse ad unam gentem Judaicam, uti quidem id satis clarè patet ex integra N. T. historia. In eundem scopulum impigisse CAPERNAITAS improbable non est, sed tamen nos moneamus specialiter: putasse eos Ecclesiæ veræ notam esse miraculorum gloriam v. 29. Non agnoscebant CHRISTI Ecclesiam, Apostolorum & Discipulorum exiguo numero tum constantem, pro vera. Hinc miracula probationis loco exposcebant; nova enim doctrina hujus cœtus videbatur, CREDENDO ACQVIRERE COELUM. cum præsertim contempta accederet paupertas, nec invidiosæ pompæ eandem comitabantur, quæ non minus ac ipsa miracula videntur desiderasse v. 31. & alibi.

17. De MAGISTRATU præcipites habuisse hypothesès v. 14. liquet. Non placebat infimi subsellii homuncionibus ROMANORUM potentia, cui tamen subjecti erant. Penes se esse rebantur, quemcunq; alium eligere. Seditiosi igitur erant & rebelles pessimi, peccabantq; tum in Romanorum Regem, quem dejicere throno volunt, tum in totam Judaicam gentem, qua inscia hæc moliuntur, tum in ipsum CHRISTUM quem invitum etiam conantur rapere. Sed tam parvi momenti etiam Magistratus mutationem aestimant, ut ne semel quidem de modo consulant. Ruunt potius uno impetu & furore nescio quo, in momentosum opus. Ast hæc ad mores eorum, quam doctrinam magis videntur spectare.

18. DE EXTREMO JUDICIO & VITA ÆTERNA multis agit CHRISTUS v. 39. 40. 51. & c. Ex quibus id colligimus: Negasse eos CHRISTUM fore Iudicem, negasse eum dare vitam æternam, negasse

gasse vitam æternam fideles possessuros, cum ipsi opera creparent semper. Quæ singula clarissima sunt ex textu, nec ulla indigent deductione. Num verò etiam alia habuerint judaica somnia in textu non exprimitur. Non improbabilis tamen conjectura nobis videtur, putasse eos vitæ æternæ gaudia terrena esse, & voluptatibus terrestribus constare; quod ipsum communè illius seculi sententiã fuisse è Matth. XXII. 23. seq. discimus. Alias Sadducæi hūc casū quē ex Phariseis nemo poterat decidere, tanquã irreconciliabilem non proposuissent. Reliqua quæ ex THALMUDE de Judæorum doctrinis in hoc articulo legimus, ut quod v. g. purgatorium asserunt, Conf. סדר נשין l. 3. quod ראש השנה appellat, itē ראש השנה l. 8. in סדר מועד It. סדר נזיקין l. 7. ערוור & alibi passim. quod ABRAHAMUM judicem constituunt, conf. בראשית רבה c. 19. ubi dicitur ABRAHAMUM in extremo die ante inferni portas sessurum, nec ullum apellam intromissurum esse. Peccatoribus verò ABRAHAM præputia infantum qui ante octavum diem decesserunt adsuet, & ita in infernum eos præcipitabit. Hæc & similia quæ modernorum Judæorum somnia alia sunt, nolumus absq; fundamentis iisdem affingere.

19. Non persuaderi nobis patimur, ut ut integris cohortibus hic id propugnent autores, errasse in articulo de S. Cœna CAPERNAITAS. Certi sumus, & ex Johanneo textu supra monstravimus, institutam esse S. Cœnam ad minimum uno anno post hanc miraculosam cibationem, nec admittere ullo modo possumus de S. Cœna vel verbum hic interfere Christū. Qua igitur ratione errarunt in eo, quod nesciverunt, & quod ne quidem ullo indiciò propositum erat? Clara quidem per se res est, si absq; præconceptis opinionibus ipse consulatur textus. Operæ tamen præcium videtur propter adversariorum copiam, paucis in eam rem inquirere.

20. Ac primo quidem non movemur superciliosa MAL-

D 3

DONA-

DONATI animadverſione, qui in h.l. confidenter ſcribit: Nemi-
 ni ferè auctori, bono malove ante LUTHERUM veniſſe in mē-
 tem ut diceret hunc locum de Euchariftia non agere. Provo-
 catq; ad ORIGINEM, Hom. 16. in Num. CYPRIAN. l. de Cœna,
 HILARIUM l. 8. de Trinit. BASIL. in Reg. Moral. reg. 21. c. 1. CHRYS-
 SOST. hom. 41. in JOH. EPIPHAN. hæref. 55. AMBROS. l. 4. de
 Sacram. c. 5. AUGUSTIN. l. 1. de Peccat. merit. c. XX. It. l. 1. contra
 JULIAN. & Serm. 2. de Verbis Apoſtoli. HIERONYM. in cap. 1.
 Ephes. Theophil. l. 2. Paſchali. GREGOR. NYSSEN. in Eccleſiaſt.
 CYRILL. in h.l. THEODOR. in Impatibili PROCOPIUM in Cap.
 XXXIII. Eſa. GAUDENTIUM tract. 2. ad Neophytos HESYCHI-
 UM l. 6. in Levit. c. XXII. ISIDOR. in l. de Offic. Eccleſiaſt. c. XVIII.
 EUSEB. Hom. 5. de Paſcha. CASSIODORUM in Pſal. 109. DAMASCE-
 NUM l. 4. c. XIV. de fide. BERNHARD. Serm. 3. in Pſalm. Omnia
 Concilia: EPHEſINUM in Epift. ad NESTOR. CONCIL.
 TRIDENTINUM Seſſ. 13. c. II. Concil. CABILON. 2. c. 46. & c. Cu-
 jus farina quoq; ſunt quæ D. DREIERVS in der Erörterung pag.
 594. ſeqq. urget, quem tamen loca PATRUM è BELLARMINO mu-
 tuo ſumpſiſſe monuit Magnif. DN. D. CALOVIVS, *Harmon. Cali-
 xtino Heretica*, p. 762. Vt cunq; enim Sole clarius ſit; Plerosque
 falſiſſimè contra nos citari, nolumus tamen Scripturam ex
 hominibus explicari. Spiritus S. loquatur in hac cauſa ſolus,
 cæteri taceant.

21. Vindicavit contra DREIERUM pleroſq; Patrum DN. D.
 CALOVIVS l. c. oſtenditq; graviter, vel falſam iis à DREIERO af-
 fingi mentem, vel loqui eos tantum de applicatione hujus
 Capituli, non de explicatione. Concedimus nos ambabus ma-
 nibus ad S. Cœnæ fructum ſalutarem, poſſe fieri applicatiōē,
 ita, ut ubi demonſtrata eſt ex Inſtitutionis verbis, Præſentia
 Corporis CHRISTI in Cœna, ex hoc capite doceatur, quale
 ſit Corpus? vivificum nempe ac panis vitæ verus, uti NOSTRA-
 TES unanimiter loquuntur.

12. Nunc

22. Nunc ut ad ipsam rem accedamus propius, nostra sententia hæc est: Intelligendam esse in hoc toto capite ubi de Comestione & bibitione corporis & sanguinis agitur, spiritua- lem & Metaphoricam. Neutiquam autem Sacramentalem, qualis in Institutionis verbis Matth. XXVI. Marc. XIV. Luc. XXII. 1. Cor. XI. 27. asseritur. Quod quidè & CALVINIANI pleriq; & PONTIFICI ad unum omnes asserunt, Hanc autem nihil aliud esse, quam vera fide apprehendere meritum Christi ejusque promissiones. Neq; verò nova aut insolens est hæc Metapho- ra à cibo & potu petita. Et in Scripturis occurrunt exempla, & in profanis. Vti enim cibo & potu corpus fessum erigitur; ita hic ipse Cibus Spiritualis animum sustentat & fortiter cor- robórat. Non afferam quæ PERSIVS Satyr. i. canit

Tunc vetule auriculis alienas colligit escas ?
aut quæ HORATIVS l. 2. Od. 13.

*Pugnas & exactos tyrannos
Densum humeris bibit aure vulgus.*

Expresit clarissimè hanc consuetam esse Metaphoram & u- sualem. PHILO l. 1. de allegor. τὸ φανεῖν συμβολὸν ἵτι τερρῆς ψυχι- κῆς. Et ipsa sacra pagina frequentia subministrat exempla. Prov. 28. Sapientia invitat ad epulas &c. Conf. Ps. XXXIV. 9. Psal. XXXVI. 8. Jerem. XV. 16. Ezech. III. 3. Matth. V. 6. Luc. XIV. 15. Joh. IV. 34. c. VII. 37. 1. Cor. IX. 5. Apoc. X. 9.

23. Non erit difficile sententiam nostram ex ipso textu deducere. Testatur de mente sua & hic divinus Spiritus. Clara verba sunt v. 53. *Nisi ederitis carnem Filij hominis, & biberitis sanguinem ejus, non habetis vitam in vobis.* Anne verò hoc ipsum de Sacramentali esu dicitur? Non sanè simpliciter ille ad salutem necessarius est. Absq; Johannea autem salvari nemo potest. Universaliter enim excluduntur à salute omnes qui non edunt. Vulgatus Ecclesiæ Canon est, Privatío Sacra-
men-

menti non damnat, sed Contemptus. At hujus esus etiam privatio nuda exitiosa saluti est. Erit igitur alius à Sacramentali. E Contrario autem v. 54. omnes salvi dicuntur qui edunt. *Qui edit carnem meam & bibit sanguinem meum habet vitam æternam, & ego suscitabo eum in novissimo die:* Non salvat sacramentalis comestio simpliciter. Quotus enim quisq; accipit sibi ipsi in iudicium 1. Cor. XI. 27. Non quadrat ergò hæc Johannea Comestio cum Sacramentali. Sed talis erit hic intelligenda, absq; qua salvari nemo potest. Talis intelligenda erit, quæ vitam affert omnibus, mortem nemini. Hæc verò omnia, conveniunt manducationi Spirituali quæ fide fit, ac cujus beneficio *σύνσωμοι συμέτοχοι καὶ συγκληρονομοι*, concorporales, promissionum participes, & Cohæredes Christi sumus. EPH. III. 6.

24. Habemus præterea paraphrasten omni exceptione majorem ipsummet CHRISTUM. Noluit ille de alia quam Metaphorica comestione verba intelligi. Toties ergò fidem inculcata ac per τὸ credere comestionem explicat v. 29. 35. 40. & imprimis v. 47. Quibus verbis enim dixit v. 47. *Qui confidit mihi habet vitam æternam*, iisdem exprimit deinceps comestionem ipsam v. 45. *Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Eadem igitur cum fide hæc est comestio. Et quid quæso clarius est, si conferatur v. 63? Totidem sanè Syllabis CHRISTUS Spiritualiter intelligenda verba asserit, *Spiritus est qui vivificat inquit, Caro non potest quicquam. Verba quæ loquor Spiritus sunt & vita.* Quæ verba de Spirituali & carnali sensu apud B. LYSERUM CHRYS. & THEOPYLACTUS explicant. Ut nimirum verba CHRISTI ad dilucidiores intelligentiam ita ordinanda sint. Verba quæ loquor Spiritus sunt & vita. Hoc est. Doctrina mea quæ ego vobis propono Spiritualis est, ac proinde etiam Spirituales

des homines requirit, qui per ministerium Sp. S. in novos ho-
mines sunt regenerati. At vos carnales estis, & sunt quidam
ex vobis qui non credunt, qui Evangelium meum, quod spi-
ritus est & vitæ ministerium 2. Cor. III. 6, non admittunt. Ita
similiter TERTULL. de Resurrect. c. 37. & CYPRIANUS Ser-
mon. de Cœna.

§. 25. præterea verò tot sunt inter Johannæam & Sacra-
mentalem comestionem differentiz, quæ in ipso textu anno-
tantur, ut in aperta luce omninò cœci sint qui discernere ne-
queunt. In Sacramentali enim Cœstione distinctè explicatur
cibus & potus, corpus & sanguis. In Johannæa non sunt di-
stincta, sed habentur pro iisdem, ut id monstrat v. 29. 35. 40.
47. 57. 58. In Sacramentali panis est & vinum præter corpus &
sanguinem tanquam partes Sacramenti essentielles. In Johan-
næa non reperitur res terrena. Neq; etiam ullibi dicit Christus
uti in Cœna Hoc, vel panis est corpus meum, Hoc, vel Vinum est
sanguis meus. Sed ego sum panis qui descendit de Cœlis &c.
Quæ sanè propositiones diversissimæ sunt. Ibi subjectum pro-
positionis panis est; Hic CHRISTUS. Ibi de pane prædicatur ca-
ro CHRISTI, de Vino sanguis: Hic de CHRISTO Panis, de carne
esus, de Sanguine potus. Quas differentias qui probè perpen-
dit, de rei veritate dubitare porrò non potest.

26. Neq; verò ulla nos movet ratio, contrarium cum CAL-
VINIANIS, PAPISTIS, & qui hos sequuntur CALIXTO &
DREIERO asserere, ac de S. Cœna exponere verba. Frustra
urgetur: Toties repetita verba non posse explicari Metapho-
ricè, sed retinendum esse sensum verborum proprium, præ-
sertim dum nec CHRISTUS ipse id explicare voluerit aliter, qui
tamen salutis hominum erat sitientissimus & obscura loca lu-
bens exponebat, præsertim discipulis. Ita CALIXTUS, Concord.
l. 5. c. 2. & DREIERUS in der Erörterung p. 618. Præterea, distin-
ctè explicari ac nominari carnem à sanguine. cibum à potu,

E

come-

comestionem à bibitione. Id autem in Spirituali Comestione necessarium non esse. Quod enim primum attinet, pernegamus illud: explicatam non esse Metaphoram ab ipso CHRISTO. Quatuor distinctis locis expressè fides nominatur. Conf. v. 29. 35. 40. 47. Quorum verborum vim cum eludere, nequeat DREIERUS, quæstionem tantùm de v. 53. 54. 55. 56. esse, astutè contendit. At cohæret integer textus concinnè, & subsequentiâ verba de fide non minus loquuntur; Sæpius ex antea actis repetuntur integræ phrasæ, & quod præcipuum est v. 63. additur: *Spiritus est qui vivificat. Caro non prodest quicquam. Verba quæ loquor Spiritus sunt & vita.* Præterea etsi id concedatur; non esse explicatâ à CHRISTO Metaphoram contra ipsos sensus, nondum tamen sequitur quod vult DREIERUS. Quot enim quæso habentur in Scripturis Metaphoræ, quæ nuspiam explicantur? Ergò forsân intelligenda verba propriè? conf. cap. JOHANN. V. v. II. 12. Quæ de distinctione Sanguinis & carnis adduntur, stringentia non sunt. Neq; enim sequitur: distinctis vocibus hæc res exprimitur: Ergò distinctæ res notantur. Canit MARIA Luc. I. 47. *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit Spiritus meus &c.* Neque tamen colligere fas est: Ergò anima est distinctum quid à Spiritu. Ita PROVERB. IX. 5. distinctè nominat Sapientia vinum & panem; Num autem ideò dicendum, esse illa distincta inibi? aut colliget forsân, & illum locum agere de S. Cœna? Neque monstrari potest, discriminari illa adeò accuratè! Monstrat ipsa lectio contrarium. Habet enim CHRISTUS ea pro iisdem. Hinc & eundem adscribit utrique effectum, & aliquando unicum nominat seorsim cum illo prædicato, quod ambo habent conjunctim.

27. Monenda hæc erant proluxius, ut eò firmior staret assertio nostra: Non errasse in articulo de Cœna CAPERNATAS. Neque n. quemq; tam absolum fore veremur, qui ea negaf-

negasse asserat CAPERNAITAS, quæ prorsus ne verbo quidem ipsis erant proposita. De cætero verò non negamus posse CAPERNAISMVM in S. Cœna committi, verbum divinum impugnando, contradicendo, ratiocinando, negando, & si qui alii scopuli sunt in quos imegisse CAPERNAITAS constat; uti quidem certum est CAPERNAITAS propriissimè sic dictos esse, qui negant; carnem CHRISTI etiam in S. Cœna sumtam esse vivificam: Non posse CHRISTVM Carnem suam dare ad edendum; &c. Ad hujusmodi sensum igitur tum ple-
rorumque Patrum, tum imprimis nostratium Theologorum dicta revocanda sunt, sicubi ad S. Cœnam CAPERNAISMVM applicarunt.

CAPUT III.

*CAPERNAITÆ an hæreticè vindicatur LUTHERANA EC-
CLESIA, ex Libris Symbolicis. Differentia inter manducationē
CAPERNAITICAM & Oralem. Pontificios CAPERNAITAS stri-
ctè sic dictos esse per singulos articulos monstratur. De CALVINI-
ANIS ex ipsorummet Doctoribus idem asseritur.*

I.
Impegisse in articulos fundamentales, ac hæreseos incurrisse Crimen CAPERNAITAS, ex sola dogmatum inspectione constat. Fundamentalis omnium consensu articulus de justificatione est. At in eodem gravissimè hallucinati sunt. Fundamentalis articulus de CHRISTO est, & hunc omnibus modis impugnarunt; Ut alios sicco nunc prætereamus pede. S. AUGUSTINUS in Epistola ad QVOD VULTEJUM nescio quo Fato eosdem omisit: Annúmerat tamen eosdem apertè hæreticis *Cōment. in Psal. 54.* Quæ verba repetuntur in JURE CANONICO *Decret. part. 3. de Consecrat. distinct. 2. c. 44.* Prima, inquit, hæresis in discipulis Christi, velut à durezza ejus sermonis facta est. Cum enim diceret, nisi quis manducaverit carnem meam,

& biberit sanguinem meum, non habebit vitam æternam. Illi non intelligentes, dixerunt ad invicem, durus est hic sermo; quis potest eum audire dicentes, quia durus est hic sermo, separaverunt se ab illo: remansit cum duodecim. Discedentibus illis instruxit eos, qui remanserunt. Spiritus est, inquit, qui vivificat, caro nihil prodest. Verba quæ locutus sum ad vos, Spiritus & vita sunt. Intellexistis Spiritualiter? spiritus & vita sunt: Sed tibi non Spiritus & vita, qui spiritualiter non intelligis, spiritualiter intelligite, quæ locutus sum. Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fufuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi, spiritualiter intellectum vivificabit vos. Caro a. non prodest quicquam: sed quomodo illi intellexerunt? Carnē quippe sic intellexerunt; quomodo in cadavere veditur, aut in macello dilaniatur. *Hæc ille.* Neq; est quod quisquam excipiat ad hæreticum requiri, ut is fuerit aut in Ecclesia; Hos a. Judæos fuisse. Siquidem ipse Textus monstret, extrinsecus ipsos CHRISTO & Ecclesiæ veræ adhæsisse, ac plurimos insuper ex ipsis CHRISTI discipulis, qui perpetuò CHRISTUM comitabantur, huic Cœtui annumerandos esse. Ut v. 60. & 66. expressè dicitur.

2. Calumnias autem CALVINIANORUM esse, quando CAPERNAÏSMI nos accusant, monstrabunt LIBRI nostratium SYMBOLICI. Detestamur Capernaiticos errores ac toto pectore execramur. Normam & regulam secundum quam omnia dogmata, omnesque Doctores æstimari & judicari oportet credimus nullam omninò aliam esse, quam Prophetica & Apostolica scripta tum V. tum N. Test. Excludi ergò & ratio & miracula & traditiones debent. Utpote quæ ab ipsa Scriptura excluduntur. Conf. I. Cor. I. 18. 19. Esa. XXIX. 13. Matth. XV. 9. Deut. XIII. 1. Non possumus ergò in reliquis cum CAPERNAÏTIS conspirare, qui diversum habemus principium. Esse DEUM

DEum æternum, incorporeum, immensa potentia, sapientia,
bonitate, Ecclesiæ magno consensu apud nos docent. AUG.
CONFESS. art. i. Credimus, docemus & confitemur in una
indivisa PERSONA CHRISTI duas esse distinctas naturas, di-
vinã, videlicet, quæ ab æterno est, & humanam, quæ in tem-
pore assumpta est in Unitate Personæ FILII DEI. &c. Item as-
sumptam humanam naturam in CHRISTO non tantum es-
sentialia & naturales proprietates habere, & retinere, sed præ-
terea etiam per unionem personalem qua cum divinitate mi-
randa modo copulata est, postea per glorificationem exal-
tatam esse ad dextram Majestatis, virtutis & potentia super o-
mne, quod nominatur non tantum in hoc sed etiam in futu-
ro seculo. FORM. CONCORD. in solid. declarat. c. 8. Præterea
constat Christianos, non tantum actualia delicta & transgres-
siones mandatorum DEI peccata esse, agnoscere & desinere
debere: sed etiam horrendum atq; abominabilem illum hæ-
reditarium morbū, per quem tota natura corrupta est, impri-
mis pro horribili peccatō & quidem pro principio & capite
omnium peccatorum habendum esse. SOLID. DECLARAT.
De libero arbitrio credimus, docemus, & confitemur volunta-
tem hominis nondum renatam, non tantum DEO esse adver-
sam, verum etiam DEO inimicã factam &c. Conversionem au-
tem hominis operari Spiritum Sanctum EPITOM. De lege,
docemus: Obedientiam erga legem esse quidem justitiam, cū
est integra, sed in nobis esse exiguam & immundam. Ideo non
placet propter se ipsam; non est accepta propter seipsam A-
POLOG. Rejicimus igitur & damnamus hanc phrasin: Bona
opera sunt necessaria ad salutem. EPITOM. Rejicimus etiam
hanc: Quod non sola DEI misericordia & sanctissimum me-
ritum CHRISTI, sed etiam in nobis ipsis aliqua causa sit ele-
ctionis divinæ, cujus causæ ratione DEUS nos ad æternam vi-
tam elegerit; tanquam falsas, horrendas, & blasphemias, Ibid.

Non admittimus quod Ecclesia sit Monarchia externa, suprema totius orbis terrarum, &c. APOLOG. Id regimen potius ad civilia negotia spectare arbitramur. Hinc è CATECHESI min. LUTHERI divina verba sedulo inculcamus: Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, It. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. &c. Tandem docemus quod CHRISTUS apparebit in consummatione mundi ad iudicandum, & mortuos omnes resuscitabit, piis & electis dabit vitam æternam, & perpetua gaudia, impios autem homines ac diabolos condemnabit, ut sine fine crucientur. AUG-CONFESS. art. XVII.

3. Sed de his & similibus tantæ nobis lites non moventur. Toto potius impetu in articulum de S. Cœna feruntur. Hic clamant: CAPERNAITAS nos esse, & nihil nisi immanes CROCOPES. Allegavimus nonnulla superius, ex quibus virus & diabolici sarcasmi abunde elucent. Causa hujus odii est ORALIS MANDUCATIO quam in S. Cœna nos toto pectore confitemur, quæq; acris ingenii Sacramentarius MARCUS FRIDERICUS WENDELINUS, monstruosum & infelix dogma nominat, *Theolog. Christian. l. 1. c. 23. thes. 7.* Cui statuminando, accersitum esse prodigiosum Ubiquitatis dogma, in hujus gratiam depravatâ doctrinam de persona CHRISTI & Eutychanam idiomatum Communicationem invecram esse l.c. audacter calumniatur. Hinc JOHANNES BERGIUS blasphemus ore S. S. Cœnam oraliter manducatum unam massam, unam Substantiam, unum corpus, *Ein Fleisch Brod / oder Brod fleisch / oder Pastedi* nominare non veretur; WENDELINUS l.c. impiam & horrendam, qualis semper ἀσπρωτοπαγία habita est; Imò prorsus impossibilem proclamat. Nam nec lacerata CHRISTI Caro omnibus sufficere multo minus integra ab omnibus simul communicantibus eodem tempore accipi & oraliter edi potest. Non patitur hoc finitudo ejus quam in æternum nunquam deponit vel deponere potuit. Hæc ille. Pollicem premunt CALVINIANIS
hac

hac in parte NEOARIANI. Uti quidem id è VALENTINI SMALCII
refut. contra B. D. FRANZIUM videre est. Ita, inquit Disp. XII., se-
gerit FRANZIUS, ac si aliquid constet de isto modo manducan-
di CHRISTUM CAPERNAITICO ex S. literis, qui diversus sit ab eo
quem docent LUTHENANI. Cum nullam aliam credere potue-
rint CAPERNAITAE comestionem corporis CHRISTI & bibitio-
nem sanguinis eius, quam quæ re ipsa & ore fieret, siquidem,
crassum aliquid fingeant, ut verisimile est. Quæ enim alia
comestio & bibitio crassa esse potest, præter eam quæ ore fit?
&c. Quomodo ergo differt à CAPERNAITIS? Quibus omnibus
satisfacere uno illo possemus, quod sui immemores scripse-
runt, in ADMONITIONE *contra Librum Concordia* CALVINI-
ANI. Queruntur sibi tribui à nobis esum corporis Capernaiti-
cum, qui corpus CHRISTI laceret dentibus. At sæpe est illis
responsum: NOS DE TALISU ESU CUM ILLIS NON DISPUTARE.

4. Ex liberalitate tamen pauca in hanc rem ex nostris
Theologis dabimus, quorum intuitu speramus expeditum fo-
re totum negocium. Ubi quidem ex superioribus primo cer-
tum est: CAPERNAITAS non quæsiuisse de modo manductionis
si intentionem primariam spectes, sed totam rem velut im-
possibilem negasse. Quod si verò hypotheses eorum spectes,
concedimus facile, idè eos negasse verba CHRISTI, quia uti
AUGUSTINUS Enarrat. in Ps. 98. ait: acceperunt illud stultè, &
carnaliter, cogitaverunt quod præcisurus esset Dominus par-
ticulas de corpore suo quasdam, & daturus illis. Vel ut aliis
videtur; quod contradictorium putarint: Tradere eum posse
corpus suum aliis, & tamen illud retinere. At ex hoc ipso nos
colligimus longè diversam à nostra, sententiam CAPERNAI-
TARUM fuisse.

5. Inviçtum argumentum est, quòd ex ipsis Institutio-
nis Verbis nectitur. Non est Capernaitica comestio, quæ à
CHRISTO in Sacra Cœna instituitur, sed pia, divina & Chri-
stiana.

stiana. At oralem manducationem ab ipso Christo institutam esse, norunt illi, qui clarissimis CHRISTI verbis firma & simplici fide adhaerendum, non fingendos tropos, & pervertendū genuinum sensum esse, Christiana simplicitate credunt. Dixit CHRISTUS, edite, bibite corpus & sanguinem, Voluit ergò ore eadem excipi. Quid enim edere aliud notat? Deinde non credimus tam impios futuros adversarios, utut multi omnem humanitatis speciem exuerint, ut dicant APOSTOLOS in prima S. Coenae administratione Capernaiticè bibisse. Biberunt a. oraliter sanguinem CHRISTI, id quod & in textu MARC. XIV. 24. dicitur *Biberunt* (non sanè improprie) *omnes*, & JUDÆ proditoris exemplum confirmat, quem interfuisse S. Coenae ex textu LUCÆ plerique Patres statuunt. Bibit ergo & JUDAS. At hic Spiritualiter non bibit, neq; n. fidem salvificam, habuisse quis asseret facile. Tò bibere igitur in Institutione oraliter explicandum, & de S. APOSTOLIS prædicandum est. Quod si ergo oralis manducatio Capernaitica est, vide qua ratione S. APOSTOLOS à CAPERNAISMI Crimine absolvas.

6. Ut autem eò melius de differentia inter Nos & CAPERNAITAS constet, notamus distingvendum esse inter manducationem oralem & naturalem. Oralis ipsam manducationis Veritatem simpliciter asserit, Naturalis simul includit modum, quod nempe fiat physica & vulgari ratione. Sedulo cavemus à posteriori quæ Capernaitica est; priorem quam CHRISTUS ipse cum APOSTOLIS instituit, firma fide amplectimur. Nò licet ab orali argumētari ad naturalem, quia non omnis oralis māducatio naturalis est, utut omnis naturalis oralis sit. Nò incōmoda declaratio hujus rei sumi potest ex ANGELORUM in corporibus assumptis, & CHRISTI ipsius post mortē, cōmestione. Certum est naturalem non fuisse, siquidē illorum corpora non habebant vegetantem vim, sed regerantur tantum à forma adistente. CHRISTUS in statu gloriæ
verè

verò corpus jam habebat glorificatum, & ab his terrenis necessitatibus liberatum. Piè veteres, Post Resurrectionem comedit Dominus & verè comedit, non secundum phantasiam, sed Oeconomiam, cibum verò modo decenti quem ipse novit distribuit.

7. Ruunt his probe ponderatis pleraq; adversariorum argumenta, ut pote qui è naturali comestione ad nostram sacramentalem concludunt. Frustra ergò WENDELINUSI, c. LUTHERANI oralem & propriè dictam corporalem manducationem corporis CHRISTI verè & propriè dicti nunquã obtinere poterunt, nisi & masticationem, & deglutionem, & trajectionem in stomachum admiserint: siac his enim oralis manducatio cibi solidi vera & propria nulla erit. Facile concedimus ad naturalem hæc pertinere, sed de ea, mi WENDELINUS non erat questio. Frustra quæritur, quo modo ergò fiat sacramentalis hæc, seu oralis comestio, si nõ accedant ea quæ naturaliter consueverunt. Non enim judicandum est de summis fidei mysteriis ex prædicamentis cœcæ rationis. Modum alium sanè CHRISTUS non ignorat, qui hæc omnia ita fieri voluit; nec impotentior hodie factus est, qui in prima institutione oraliter se præbuit APOSTOLIS manducandum, uti ostensum supra est. Possumus tamen si urgeant Adversarii monstrare qualiter non fiat. Non fit naturaliter, non comminuitur dentibus, non replet stomachũ &c. Qualiter fiat positivè asserere nequimus.

8. Differt ergò ab APOSTOLICA & vere Christiana comestione CAPERNAITICA 1. Objecto, seu materia circa quã. Habuisse enim ipsos CHRISTUM pro nudo homine è v. 42. superiori capite fuit ostensum. Comedendum ergò putabant carnem nudi hominis, filii JOSEPHI & MARIAE. Nos carnem ipsius DEI pascimur. Putabant 2. Carnem CHRISTI proponi ad comedendum nudè & immediatè, siquidem verba ibi non

F

loquan-

loquantur, uti supra dictum, de Sacramento. Nos cum ipsis Symbolis externis & non nisi illis mediantibus in S. Cœna corpus CHRISTI comedi docemus. Putabant 3. quod necessario sequatur comestionem corruptio, uti naturaliter quidem id contingere solet. Nos non tantum corruptionem à glorioso CHRISTI corpore removemus procul, sed & conservandi vim eidem devotè adscribimus. Putabant 4. non comedi propter vitam æternam. Quà enim ratione nudi hominis caro vitam æternam operaretur? Nos salvificam esse CHRISTI Carnem, piè & decenter sumentibus toto corde confitemur. Putabant 5. particulatim & per frustra sibi proponi corpus CHRISTI, uti quidem id S. AUGUSTINI & CYPRIANI conjecturæ volunt. Nos ab illa impietate prorsus abhorremus ac docemus: Corpus CHRISTI totum & indivisum sumi, juxta dictum vetus: sumit unus, sumunt mille, tantum iste, quantum ille, nec sumptus absumitur. Putabant 6. Velle CHRISTUM, carnem suam, comedi eo modo, quo caro in macello vedita, hoc est naturali, physico, visibili & palpabili. Nos statuimus modum manducationis supernaturalem, invisibilem, spirituales, mysticum & incomprehensibilem.

9. Sterilem fuisse CAPERNAITARUM hæresin primis seculis vere quidem dixit DANÆUS in *August.* *Quod vult:* Si respectum habeas ad nostra tempora. Certum enim est maximam totius CHRISTIANISMI partem eandem perrepisse nunc, ac corrupisse penitus. Facillimè id apparet si respiciantur superius notata dogmata, & cum hodiernis conferantur. Duos nobiliores Sectas tantum assumemus, PONTIFICIOS & CALVINIANOS, quos utut in quibusdam capitibus acerrimos hostes, in Capernaismo tamen amicissime conspirare, Sole meridiano clarius est. A Prima Capernaismi sobole, & perpetuo successore ordimur merito, atq; id intrepidè affirmamus in singulis articulis PONTIFICIOS *κατὰ πῶδα* CAPERNAITAS sequi, eorumq; dogma-

dogmata acriter propugnare. Quod ut appareat produci-
mus sequentia.

10. In articulo proœmiali de Principio fidei asserunt,
cum CAPERNAÏTIS miraculorum fidem. Id quod præter alios vi-
dere est ex celebri nominis Monacho & Jesuitici nominis a-
cerrimo hoste VALERIANO MAGNO in *Regul. Credendorum catho-
lic. LESSIO, consult. & Cardinali BELLARMINO l. 4. c. 14. de Ecclesia.*
Defendunt præterea acriter traditiones, illasque cum verbo
DEI scripto tanquam vel ore tenus à CHRISTO vel SPIRITU S. di-
ctatas & continua successione in Ecclesia Catholica conserva-
tas, pari pietatis affectu suscipiendas esse docent. CONCIL. TRI-
DENT. *sess. IV.* BELLARM. *l. IV. de Verbo DEI c. 9. & alii.* LINDANUS
de Optim. genere Interpret. Script. Prefat. p. 9. Pro ram & puppim,
castrum & propugnaculum totius Religionis Christianæ Tra-
ditiones nominat. Denique & rationis dictamen sequuntur
in plerisque fidei articulis, ut totidem verbis id non fateantur.
Quid enim quæso aliud nisi rationem crepat tota THEOLO-
GIA SCHOLASTICA? Neque etiam ultimò quod hunc cõ-
cernit articulum in eo à Capernaitis discrepant, quod falsò &
contra intètionem Spiritus S. scripturam S. citant, ejusque sensum
miserrimè depravant, quod præter infinita loca demonstrare
possunt Gen. 3. 15. Matth. 16. 18. Demonstravimus hos de Capernaitis
errores clarissimis argumentis Cap. II.

II. DEI attributa non minus ac ipsi CAPERNAÏTÆ in
dubium vocant PONTIFICII. Inter quæ primarium est VE-
RITAS. Impugnant hanc PONTIFICII, quando Scriptu-
ram S. nasum cereum blasphemè vocant, quando eandem
quæ revera cœlestis veritas est, errorum accusant, Quod toti-
dem verbis faciunt ERASMUS Annot. ad c. 2. Matth. it. c. 22
it c. 2. Marc. MELCHIOR CANUSLL. *CC. de Script.* SIX-
TVS SENENSIS, *Bibliothec.* NIHUSIUS *novus methodista*, &
innumerii alii. Potentiam divinam denegant CHRISTO,

eidemq; cum ALCORANO mediam potentiam tantum assignant; Id quod defendere satagunt JESUITÆ, Conf. GREGORIUS de VALENTIA *Disput. de vera presentia CHRISTI in Cælis tantum & in sanctissimo Sacramento* (quam B. D. JACOBUS ANDRÆ peculiari scripto confutavit.) It. ad part. I. THOMÆ quaest. 25. Ubi negat esse omnipotentiam, DEI attributum: sequi enim putat imperfectionem si dicatur omnia potentia in DEO, operationum causa.

12. In articulo de CHRISTO CAPERNAITAS imitantur exactè. Uti enim illi regnum ejus putarunt terrenum futurum, ita PONTIFICII nil nisi Monarchias & hierarchias somniant. BELLARMINUS l. I. *de Rom. Pontif. c. 5.* ait convenire in eo OMNES DOCTORES CATHOLICOS, quod regimen Ecclesiasticum hominibus commissum sit Monarchicè. it. SCOTUS l. 4. *sent. d. dist. 24.* CAIETANUS. *de primatu Papa & alii qui Vicariatum CHRISTI & terrenam potestatem Pontifici vindicant.* Impugnant CHRISTI divinam Majestatem, negantque propriorum veram communicationem & cum GABRIELE BIEL totam unionem personalem *in nuda instantia* s. *in presentia extremorum locali* ponunt. Negant CHRISTI hominis omniscientiam. BECANUS *Theol. Schol. part. 3. c. 9. q. 1.* PHIL. à SS. TRINITATE & alij. Omnipresentiam, DILLINGENSES *composit pæcis*, qui ob causam hanc Lutheranos ex pace Religiosa excludunt. LAURENTIUS FERRERUS, PÉTAUVIUS cultum adorationis divinæ, THOMAS *part. III. quaest. 24. art. 2.* GREGORIUS de VALENTIA *Tom. 4. in cit. Thom. loc. cit.* TANNERUS *Tom. 4. Theol. Scholast. disp. I. q. 7. dub. 7.* & quis recensere omnia potest?

13. In articulo de providentia Capernaizant in eo, quod hominibus & demortuis Sanctis, terrenarum rerum curam tribuunt, immò iisdem etiam plurima adscribunt miracula, non secus ac CAPERNAITÆ Mofi. Hinc tot Sanctorum Invocatio-

tiones, tot vota, ut veriti non sint etiam edere integrum
PSALTERIUM MARIAE, in quo Davidici Psalmi ita corrumpun-
tur, ut quicquid illi asserunt de DEO, hoc trahatur ad MARI-
AM. Gerit enim eadem curam terrenarum rerum. Nunquid e-
nim, quærit CARDINALIS PETRUS Serm. 1. de Nat. virg. quia
ita deificata, ideo nostræ humanitatis oblita es? Nequaquam.
Domina. Non convenit tantæ misericordiæ, tantam miseriam
oblivisci. Quia etsi subtrahit gloria, revocat natura. Bla-
spheum est quæ ex ANSELMO citat BARRADIUS *Harmon.*
Tom. I. l. 6. c. 13. p. 302. Velocior, inquit, nonnunquam est salus
memorato nomine Virginis, quam invocato nomine Domi-
ni JESU. De miraculis plenæ sunt LEGENDÆ quas ob ani-
lem fabulositatem (sit venia verbo) referre pudet.

14. Quid de peccato fenserint CAPERNAITAE ex superio-
ribus constat. De Pontificiis similia pronunciare non dubi-
tabit, qui perpendet secum, communem eos habere cum CA-
PERNAITIS causam. Quod enim illi operibus, quod arbitrii
libertati tribuebant, nolunt iisdem PONTIFICII negare. Præ-
suppositum habebant CAPERNAITAE; Non adhærere omni a-
ctui peccatum. Idem docet THOMAS in 1. secunda quæst. 109.
BELLARMIN. l. 4 c. 15 de amiss. gratiæ. Præsuppositum erat: Esse
tantum externam Legis transgressionem peccaminosam: Possè
igitur Legem DEI perfectè impleri. Quid quæso aliter PON-
TIFICII? Expressa sunt INNOCENTII X. Verba, in BULLA contra
JANSENIUM: Aliqua DEI præcepta hominibus justis, volentibus
& conantibus secundum præsentis quas habent vires sunt im-
possibilia, deest quoq; illis gratia, qua possibile fiant; temera-
riam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, & hæreti-
cam declaramus, & uti talem damnamus. Faciunt huc quæ de
MARIÆ immaculata conceptione disputant FRANCISCANI, de
JOHANNIS BAPTISTÆ & JEREMIÆ sanctitate COMMEN-
TATORES ad Luc. c. I. 41. JEREM. I. 5.

15. Arbitrii libertatem totis viribus propugnare PAPI-
STAS notius est, quam ut longâ probatione indigeat. Proli-
xius id defendunt *BELLARMINUS Tract. de gratia. LESSIUS*
de gratia. FRANCISCUS SUAREZ de auxilium gratia, SCHOLA-
STICI communiter in II. Sentent. Dist. 24. vel si mavis publica-
CONCIL TRIDENT, SESS. VI Can. V. hac decernit. Si quis libe-
rum hominis arbitrium post Adæ lapsum amissum & extinctū
esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imò titulum sine re,
figmentum denique à Sathana in vectum in Ecclesiam, anathe-
ma sit! Hinc & legis impletionem maximoperè defendant
BELLARM. l. 4 de justific. c. 1. TANNERUS Tom. 2. Disput. 6. q. 3.
CORNEL. à LAP. SYNODUS TRIDENTINA Sess. 6. Can. 18. Si
quis dixerit DEI præcepta homini etiam justificato & sub gra-
tia constituto esse ad observandum impossibilia, anathema sit!
Evangelium CHRISTI sincerè non admittunt sed idem incul-
care & includere operum merita audacter docent BELLARM.
l. 4 c. 2 de Justific. & CHRISTUM ipsum novum Legislatorem,
vocant, secusq; docenti anathema dicunt. CONCIL. TRIDENT.
Sess. 6. c. 21.

16. Concordant cum CAPERNAITIS PONTIFICII, si
ullibi, in articulo de justificatione. Operarios enim esse, cla-
rius est, quam ut operosa autorum citatione opus sit. Hinc
CONCIL. TRIDENT. *sess. 6. anathema iis dicit, qui sola fide,*
nos justificari asserunt. Neque enim fidem in se virtutem esse,
sed accessu charitatis demum fieri LOMBARD. l. 3. Sent. Dist. 23.
ait. Nihil fidem ad salutem conferre neq; vim justificandi ha-
bere, sed hoc omne à charitate communicari GREGOR. de
VALENTIA Tom. 3. Disp. 1. q. 4. & alii asserunt. Quin imò i-
psam etiam electionem ex prævisis hominum meritis factam
esse pleriq; docent. MARTINUS BECANUS Theol. Scholast. p. 1.
tract. 1. c. 14. pro hac sententia citat SCHOLASTICOS, CARD.
PIGGIUM, OSORIUM, TAPPERUM, ECCIUM, TURIA-
NUM,

NUM, STAPLETONVM, MOLINAM, LESSIVM & alios. Sed non possunt aliter uti demonstrat ipse BECANUS, cum mereri vitam æternam bona opera asserant. Quia non aliter DEUS salvat actum, quam salvare decrevit. At priorem sententiam : Bona opera esse meritoria vitæ æternæ OMNIBUS CATHOLICIS communem esse BELLARMINUS *l. 5. de Justif. c. 1.* ait. *CONCIL. TRIDENT. sess. 6. c. 32.* anathema dicit iis, qui justificatum bonis operibus non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam & ipsius vitæ æternæ consecutionem defendunt.

17. Inter notas veræ Ecclesiæ miracula numerari à PONTIFICIIS ex solo BELLARMINO *l. 4. de Ecclesia* abunde constat. Unde etiam tanquam falsam rejiciunt Ecclesiam LUTHERANORUM, & probationis loco miracula exposcunt. Novam enim non minus CAPERNAITIS putant sententiã, *credendo acquirere Cælum.* Alligatam Romæ Ecclesiam veram esse arbitrantur, ita, ut ROMANA CVRIA errare non possit, tantumq; se extollunt, ut & super Principes & Reges extendere potentiam non vereantur, uti quidem praxes eorum in deponendis Imperatoribus seditiosæ, luculenter monstrant. Manent igitur qua singula dogmata, *PONTIFICII VERI CAPERNAITÆ, quod erat demonstrandum.*

18. Quod CALVINIANOS attinet, constabit ex sequentibus facilè, eos ab hoc crimine liberos omninò non esse. Ut enim fateamur ipsi, in omnibus cum CAPERNAITIS eos non convenire, certi tamen sumus in tot impingere scopulos, tot que foveat Capernaiticos errores, ut denominari ab hac hæresi non incommodè possint, & CAPERNAISMI luculenter convinci. Hæc ut ostendamus, præmonemus : Ex sententia veterum & ipsorum CALVINIANORVM præcipuum & principale CAPERNAISMI dogma recenseri v. 52. & 60. Quod si ergò in hoc ipso CALVINIANI deprehendi se passi fuerint, causa nul-

nulla est, ut se ejusdem hæreseos esse genuinam sobolem
amplius negent, nedum ut accusent alios.

19. Ut igitur eo procedamus distinctius, notamus denuo:
CAPERNAITAS in citatis locis disputasse ex rationis principiis,
urgent enim philosophicum QVOMODO v. 52. accusant ali-
cujus contradictionis CHRISTVM v. 61. Idem per omnia
faciunt CALVIANI. Equidem protestantur de injuria MARE-
SIUS *System. p. 5. & VEDELIUS in rationali.* At revera contra
conscientiam. Quotus enim quisque est è CALVINIANORUM
scholis, qui id in praxi nō ostendat quotidie? Disputant enim
perpetuò ex rationis dictamine. Urgent philosophica axi-
omata: qualia sunt: *omne corpus est in loco. Omne materiatum
est quantum. Omne quantum est extensum. Finitum non est ca-
pax infiniti. Ens dependens non potest esse omnipotens.* & quæ
hujus farinae sunt infinita alia, quæ non nisi è rationis phare-
tra depromuntur.

20. Dubitarunt CAPERNAITÆ de divina omnipotentia,
vel eandem potius negarunt omninò. Sequntur fideles pa-
rastatæ CALVINIANI. Ita SADEEL *de manduc. Sacram. c. 3.* Deus
nihil potest quod sit contra naturam. Commune est, quod
asserunt: DEUS nihil potest contra rationem humanam. Cui
velamen obducunt ex illo: Contradictoria esse DEO impos-
sibilia. Contradictoria autem deinceps æstimant ex regu-
lis philosophicis, ut adeo non possit non in ipsum DEUM redū-
dare injuria. Excogitat enim ratio contradictiones in iis,
quæ percipere nequit. Si enim, *verba sunt B. MEISNERI* con-
ciliare posset, comprehendere posset. Satius nos ducimus
JUSTINUM MARTYREM sequi. Ita ille *Consut. Græc. quæst.*
si tibi mysterium quoddam videtur *ἀδύνατον*, non protinus tale
est in oculis Domini; Si verbū habemus, sufficit. Nos fidamus,
etsi non videamus. Beati enim qui credunt & non vident, JON.
XX.

XX. 29. Dicitum sibi putent hoc CALVINIANI quæ AUGUSTINUS habet l. 22. de Civit. DEI. Quod si increduli omnino invenire volunt, quod non potest omnipotens, habent prorsus, & ego dicam mentiri non potest. Credamus ergo quod potest, non credendo quod non potest. Non itaque credentes quod mentiri potest, credamus ipsum facturum quod se facturum promisit.

21. Negarunt v. 52. CAPERNAITÆ DEI veritatem quod EXFLACIO monuimus supra. Idem per omnia CALVINIANI. Ita sane PISCATOR. Non est absurdum DEUM FALSA LO- QUI. & in Diss. contra SCHAEMANN. DEUS interdum verbo significat se velle quod revera non vult, aut nolle, quod revera vult. Pertinet huc distinctio voluntatis divinæ in eam quæ signi est & quæ beneplaciti; quas horrendas blasphemias recensere calamus renuit. Deteriores autem esse hoc in puncto CALVINIANOS ipsis CAPERNAITIS patet ex eo, quod illi totidem verbis hoc de DEO asserant, cum CAPERNAITÆ dubio procul consequentiam negassent, quia CHRISTUM pro vero DEO non agnoverunt.

22. Quanquam si dicendum quod res est, etiam CHRISTO multum detrahant, ac non minus in hoc puncto insigniter CAPERNAIZENT. NESTORIANA enim hac in causa, fovere dogmata atque unionem personalem eos solvere demonstratum est à NOSTRATIBUS abunde. Non admittunt internam & inseparabilem duarum naturam in CHRISTO præsentiam, ita ut nec λόγος extra carnem nec caro extra λόγον esse queat ZANCHIUS l. 2. c. 6. q. 9. de natura DEI. WENDELINUS Exerc. 50. MARESIUS in System. & alij. Defendunt potius cum ZWINGLIO suo nescio quam ἀλλ' αἰωνῶν, aut cum PISCATORE contra Hoffman. triplicem synechdochen in propositione: DEUS EST HOMO. Non possunt ergo quin &

G

pro-

proprietatum communicationem negent, id quod præter
alios vnus officenter probat BEZA qui in *colloq. Mompelgart.*
Eutychianam & blasphemam nostram sententiam proclama-
vit. Seqvuntur CALVINIANI catervatim. HIERON. ZANCHI-
US l. 2. p. 381. de *Incaruat. Filij DEI.* WENDELINUS *Exercit.* 53.
MASSONIUS *fictivus Anatom. part. 2. p. 384.* POLANUS l. 6. *Syn-
tagm. c. 16. &c.* Negant ergò esse humanam CHRISTI natu-
ram omnipotentem. Uti videre est ex BEZA *colloq. MOMPEL-
GART.* Sola divinitas est omnipotens. Humana verò natu-
ra non est omnipotens. Gemina his docet in CONSENS. OR-
THODOX. p. 9. DANÆUS contra CHEMNIT. p. 104. SOHNIUS
Tom. 2. p. 415. LEIDENSES *Censur. p. 227.* omniscientiam & omni-
præsentiam WENDELIN. l. 1. *Christ. Theol. c. 16. Thef. 3.* ubi etiam
~~καρδιογνωσία~~ Christi humanitati denegat. ADMONIT. NEO-
STAD. p. 81. PERKINSUS *Exposit. Symb. pag. 580.* CHAMIER *Pan-
strat. l. 4 c. 10.* WALÆUS LL. CC. *de effect. Unionis hypostat.* SADE-
EL. *de verit. human. nature p. 186.* aliique plures.

23. In specie cum ad Sacro-Sanctæ Cœnæ mysterium de-
ventum est non possunt CALVINIANI à CAPERNAISMO
excusari. Totidem verbis CAPERNAITAS imitantur; & ra-
tionale Quomodo urgent. Quomodo potest CHRISTI Ca-
ro quæ jam in cœlum sublata est comedi? Quomodo potest
corpus in pluribus locis esse? Quomodo potest CHRISTUS
nisi cyclopice comedi? Durus est hic sermo & contradictori-
us: quis potest eum audire? conf. loc. omnium CONSENS.
ORTHODOXUMS. potius hæreticum. & apparebit CALVI-
NIANOS à CAPERNAITIS vel parum, vel omnino di-
stare NIHIL.

Soli DEO Gloria!



**VIRO CLARIS SIMO,
DN. M. RENTSCHIO,**

Adjuncto dignissimo,
Convictori suo colendo :

CAlva cohors Cœne clarissima verba sacrata
Velicat, & glossas affricat ipsa suas.
Durus ei sermo; mysteria namque verenda
Exhibet, ut ratio prendere nulla queat.
Ergo Capernaita novus Calvinus: utrique
Doctoris Christi carpere verba placet:
Atque Magisterium praeferit rationis uterque.
Adseris hinc Christi dogmata sancta Tui.
Præmia sic referes RENTSCHII, præclare Ma-
gister
Optimus hisce nequit destituisse suos.

Abraham Calovius, D.

P. P. Primarius, Ecclesiæ Wite-
berg. Pastor, Consistor. Adessor.
Electoatus Saxon. Superint. Ge-
neral.

Non

Non vulgare tibi RENTSCHI thema scribitur:
Ipse
Non vulgare chori TE decus esse scio,

Johannes Meisnerus, D.


Per sequeris laudes tibi quas VViteberga pa-
rauit,


*Magnas, conscendens pulpita Theiologum:
Non vulgi ritu sed docta mente repugnans
Technis aduersa partis & arte loquens.
Plaudimus hinc meritò tibi præ clarissime RENT-
SCHI,
Laudibus his nemo premia digna negat.*


Rapim f.


CHRISTOPHORUS Nottnagel/
P. P.














the scale towards document

orum) ora obturabimus, (ut non possint
 m ex mille, ut Jobus ait, cap. IX. 3.) manus
 loquentur contra illos, & pedes illorum testi-
 illorum machinationibus. Nam & nos si voluis-
 ulos illorum cecitate (justo judicio) percuss-
 relictâ, nescivissent, quorsum pedem movissent.
 x Septem-Castr. c. XXI. allisque satis no-
 medanos purgatoriû admittere, nollimus
 ti. Non tamen dicimus, ex naturali lumi-
 ibus communi, hausisse hanc opinionem
 uhammedanos, ut vult Cardinalis loc.
 ut pleraque cætera sua omnia deliria. Hi
 bonos, malos, & ביכונים seu intermedios
 tum est: & his quidem postremis scorias
 argatorio amburendas esse fabulantur,
 lench. Judaicorum V. thes. 35. seqq. Hornb. de
 . Contrâ Scriptura nescit ejusmodi Be-
 humanum $\delta\pi\sigma\tau\acute{o}\mu\omega\varsigma$ dividit in duo gene-
 & incredulos. Prov. XI. 7. Ex. XIII. 24.
 XII. 12. Marc. XVI. 15. 16. Joh. III. 18. V.
 4. &c.
 oc arenoso dolosoque fundamento, pro-
 ræsentissima (ut sibi imaginantur) tor-
 abus, varias extruxerunt satisfactiones.
 mæ fiunt pro defunctis orationes, uti
 Sarac. singulis ferè paginis testatur.
 quidem pro quolibet quinque fundunt
 utpote generis humani parente, nona-
 etho dictas garriunt. Stipem insuper &
 giuntur, non solum pauperibus, sed
 c manumittunt è caveis aviculas; solito
 pascunt in aqua pisces, in aère volucres,
 &c. Vid.